188 K. h. 22.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MERCURIO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu*,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PRYCE OWEN, CAMBRO-BRITANNUS.

Ad diem 10 Maii, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVII.

VIRO EXIMIO

HUGONI OWEN

DE WOODHOUSE, M. D.

PATRUO SUO PLURIMUM HONORANDO,

OB OPTIMA,

IN STUDIIS EXCOLENDIS CONSILIA,

BENEFICIAQUE INNUMERA IN SE COLLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

IN GRATI ANIMI MONUMENTUM,

D. D. C. Q.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

PRYCE OWEN.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30784967

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MERCURIO.

ARGENTUM vivum, a Graecis ὑδράργυρος, a Chemicis *Mercurius* dictus, eſt ſemimetallum fluidum, argentei ſplendoris, omnium corporum quae novimus, auro et platinâ exceptis, ponderoſiſſimum.

In terrae viſceribus haud rarò, quandoque purum mobilitate, et nitore lucido conſpicuum, invenitur argentum vivum, et tunc *virgineum* audit; ſaepè tamen, adjuncto ſulphure minerali, reducitur in ſtatum minerae, quae nomine *cinnabaris nativae* venit; haec eſt minera Mercurii propria, et fortè ſola, ſpecie tantum variatâ, pro varietate matricis in quâ diſperſa ſit.

E cinnabare, adjectis quae ſulphur retinere poſſint, diſtillatione elicitur Mercurius purus, et vel hâc viâ è minerâ extractus, vel nativus virgineus hiſce dotibus, ſe prodit.

Summo frigoris gradui adhuc experto expoſitus Mercurius, fluidus permanet, quod nulli alii praeter aërem fluido, quantum novimus, contingit.

Calori gradûs in thermometro Farenheihteano 600 expoſitus idem Mercurius, in auras prorſus avolat; ſi verò apparatu idoneo vapores avolantes colligantur, et frigore condenſentur, ſiſtunt ſe iterum ſub formâ Mercurii currentis, a vaporatione iſtâ haudquaquam mutati.

Si verò caloris gradui cuivis inter 400 et 600 medio, per tempus ſatis longum expoſitus fuerit Mercurius, fatiſcit in pulverem rubentem acrem, qui in pharmacopoliis *Mercurius praecipitatus* per ſe, vel *calcinatus*, appellatur.

Mercurius ſtatu ſuo nativo fluido, ſive, ut dicitur, vivus vel currens, omninò inodorus et inſipidus

dus eſt, et corpori humano ingeſtus, nullam aliam vim, quàm quae ex pondere ejus in primis viis pendet, in corpore exerit, ſed (ut nobis ſaltem videtur) per tubum alimentarem tranſiens, ano demum ejicitur prorſus immutatus.

Hoc autem corpus ſtatu ſuo fluido, ut diximus, iners, medicamentum validiſſimum fieri poteſt, vel *calcinatione* ſupra dictâ, vel *trituratione* in pulverem nigrum ſubtilem, vel denique *conjunctione cum acidis*.

In pulverem nigrum ſubtilem mutatur Mercurius, ſi vaſe vitreo incluſus per longum tempus validè agitetur; inde etiam ex inſipido, fit acris, ſaporem quendam metallicum, cupreum, nauſeoſum, praebens.

In pulverem nigrum etiam mutari poteſt, ſi adjuncto ſimul pulvere quovis ſicco, ut flore ſulphuris, pulvere teſtaceo, vel ſimilibus, apparatu idoneo, teratur; ſed cum iſtiuſmodi pulveribus prorſus aridis, neque in pulverem acrem, neque in medica-

mentum

mentum vi notabili praeditum, Mercurius convertitur.

Sed ſi Mercurius cum pulvere quodammodo tenaci, vel potius cum liquore quovis viſcido, quantumvis blando, ſatis diu teratur, adipiſcitur demum calorem nigerrimum, ſubtiliſſimè dividi videtur, et in medicamentum validiſſimum tranſit.

Mercurius cum quovis acido conjungi poteſt, et ex conjunctione ejus cum variis acidis, plurima medicamenta in pharmacopoliis parata, proſtant.

Solvitur facillimè in acido nitroſo; ſi ſolutio haecce ritè evaporata fuerit, non tantum aquoſa pars acidi, ſed multum etiam ipſius acidi, abigitur, relinquens Mercurium corroſum in pulverem album, qui ulteriori calcinatione, in rubrum tranſit; hic pulvis dudum nomine *praecipitati rubri* notus, nunc aptius *Mercurius corroſivus ruber*, appellatur.

Acido item vitriolico conjungi poteſt Mercurius; ſi ſolutioni hujus in acido nitroſo injiciatur acidum vitriolicum; hoc enim fortius Mercurium

attrahens,

attrahens, cum eo conjungitur, et conjunctum, cum in aquâ vix ſolubile ſit, ad fundum cadit, facilè ſeparandum. Mercurius etiam cum acido vitriolico uniri poteſt, ſi cum hoc ad ignem ebulliat, et adhibito igne donec fluidum omne abigatur, obtinetur calx alba quae affuſione aquae, fatiſcit in pulverem flaveſcentem quondam *turpethi mineralis*, nunc *Mercurii emetici flavi* titulo cognitum.

Acido etiam muriatico conjungi poteſt Mercurius; praecipitatione ex ſolutione in acido nitroſo, eodem modo, ac ob eaſdem rationes, ut de acido vitriolico modo dictum eſt; hujuſmodi praecipitatum plerumque *Mercurius praecipitatus albus* dicitur. Aliter etiam acidum muriaticum conjungitur Mercurio, ſi nempe calci hujus cum acido nitroſo factae, addatur ſal marinus, et miſtura vaſis idoneis igni exponatur, ex eâ ſublimatur Mercurius cum acido muriatico conjunctus, quae officinis *Mercurius ſublimatus corroſivus* vulgò audit.

Haec, quae jam diximus, ſunt praecipua, vel ſaltem fundamenta omnium medicamentorum quae ex Mercurio acidis conjuncto parantur.

Sunt

Sunt quidem omnia acria, acrimonia verò, pro differentiâ acidi quodammodo diversâ, adeo ut ex acido nitroſo minor, ex vitriolico major, ex muriatico maxima acrimonia, oriri videatur.

Omnia tamen haecce praeparata adeo acria ſunt, ut niſi cautè ſatis adhibeantur, effectus aliquando violentos et periculi plenos, in corpore humano exerunt. Inde eſt quod medici et chemici omni ope anniſi ſint, ut medicamenta ex Mercurio minus acria et tutiora obtinerent, et obtinent quidem variis modis, qui tamen ut videtur omnes in hunc finem conſpirant, ut ſcilicet in miſto quovis, ratio acidi ad Mercurium quàm minima fiat; ita, ſi Mercurio ſublimato corroſivo, addatur lege artis portio Mercurii vivi, obtinetur inde Mercurius ſublimatus ſatis aptè *dulcis* dictus, utpotè ob portionem majorem Mercurii cum acido conjunctam multò mitior; item, ſi a quovis praeparatorum ſuperius dictorum, quovis modo abſtrahatur portio quaedam acidi, praeparatum fit inde mitius; ita affuſione aquae fontanae, vel ſpiritus vini, vel digeſtione cum iiſdem, vel tritu cum camphorâ, et oleis eſſentialibus, vel denique additione ſalis alkalini fixi, vel volatilis,

portio

portio acidi abſtrahi poteſt, ut Mercurius quidem adhuc corroſus, ſed omninò minus corroſivus relinquatur.

De praeparatis Mercurii, quae vim quandam ſenſibilem in corpus humanum exerunt, ſcilicet de Mercurio calcinato, de Mercurio viſcido quovis irretito, et in pulverem ſubtilem comminuto, et de Mercurio denique acidis conjuncto, jam ſatis dictum eſt. Omnia illa, ut nobis videtur, vires eaſdem, ſaltem non niſi gradu diverſas, proferunt; effectus igitur communes nunc primum deſcribendi ſunt, et deinde quâ ratione fiunt pro viribus explicandum.

Ex praeparatis mercurialibus, ſupra dictis, quodvis ventriculo ingeſtum, praeſertim ſi ex acrioribus ſit, vel pleniore doſi ingeſtum, dolorem ventriculi facit, nauſeam creat, imò vomitum ciet. Idem in inteſtina delatum, cathartici inſtar ventris fluxum, cum torminibus, inducit.

Si verò medicamentum mercuriale ex lenioribus ſit, vel refractâ doſi ingeſtum, per tubum alimentarem tranſit ferè innocuum, et in ſanguinem defertur:

fertur: hic ſaepè ſudoriferi vice fungitur, ſaepè urinam pellit, nec quidem datur emunctorium quodvis, cujus excretionem non aliquando adauget Mercurius, ſanguini admiſſus.

Prae caeteris tamen omnibus frequentius ad glandulas ſalivales ruit; ibi ſalivam copioſam eliciendo, ſymptomata ut videntur ſingularia inducit, quae ſequenti ordine plerumque ſe excipiunt. Primum, aegri os quiddam metallicum cupreum et faſtidioſum ſapit, halitus deinde graviter ac foedè olet, gingivae tument tumore quodam ſpongioſo, adeo ut ex frictu vel laeſione quâvis leniori, ſanguinem fundere proclives ſint. Os internum totum calet, ac ſitibundus evadit aeger: Saliva denique fluit copioſior, plerumque viſcida et acris. Si dum haec fiunt, plus Mercurii adhuc ingeratur, ſaliva fluit adhuc majori copiâ, et cum aucto ptyaliſmo, ſymptomata omnia inflammationis oris, et partium vicinarum valdè augentur. Totum os internum ulcuſculis dolentibus obſidetur, glandulae ſalivales, et ſimul mucoſae omnes tument, lingua, pelliculâ craſsâ albâ ſemper obductâ, interdum tumet, adeo ut ore vix, aut non omnino quidem contineri poſſit. Labia,

bia, etiam tota facies, et fauces, tumore calido afficiuntur, et denique per totum horum ſymptomatum decurſum, plus minuſve febris ſemper adeſt.

Symptomata haec pro quantitate Mercurii ingeſti, habitu corporis, aetate aegri, et praeſertim pro regimine ejus vario, tum plus minuſve vehementia fiunt, tum per longius vel brevius temporis ſpatium perdurant.

Si aeger ſe objecerit aëri frigido, vel liquoris gelidi aliquid hauſerit, inflammatio oris exinde plurimum augetur, et plerumque ſaliva exinde copioſior fluit.

Aliquando a frigore, corpori utcunque applicato, nonnunquam etiam ſine causâ ullâ evidenti, Mercurius antea per corpus diffuſus, ſubitò et copiâ majori, ad inteſtina ruit, turbas ibi maximas et periculoſas admodum ciens; tormina atrocia, cum anxietate ſummâ, excruciant, dejectiones alvi tenues, aquoſae, nonnunquam etiam ſanguinolentae, crebrae, copioſae, aegrum debilitant, unde animi deliquium, imò mors ipſa, ſaepe arceſſitur.

Hi ſunt effectus generales Mercurii praeparati, et corpori humano ingeſti, ut ſupra dictum eſt; mox quâ ratione hi omnes fiant conſiderandum venit.

Medici plerique, et inter eos celeberrimi quidem, hos effectus omnes, ad actionem Mercurii in fluido corporis retulerunt. Cum Mercurius ſit corpus ponderoſum, et ſanguine fere quatuordecies ponderoſius, non dubitant quin ſanguini admiſtus, pro ratione ponderis momentum majus ſemper habeat, et in particulas ſanguinis ideò impingens, eas dividat, ita ut tota maſſa fluidior, et per ſecretiones quaſvis ad profluendum proclivior omnino evadat, vel ſaltem quod ſanguis Mercurio impregnatus, ponderoſior fit, et ad reſeranda et permeanda minima quaeque vaſa inde aptior foret.

Haec theoria utcunque magnis nominibus ſe tueatur, vix ſine dubio admitti poteſt.

Nam, 1mo, Mercurius ſanguini admiſtus in particulas minutiſſimas ſemper dividitur. Quò autem corpus in partes minores dividatur, eò ratio ſuperficiei

ficiei ad quantitatem materiae in quâvis particulâ ſemper major evadit. Particula igitur perparva utcunque ponderoſa ſit, ob ſuperficiem reſpectu quantitatis materiae ſemper magnam, ad ſuperandam cohaeſionem fluidorum certè parum idonea erit. Aurum ponderoſiſſimum in partes minutas diviſum aquae fluidiſſimae cohaerentiam ſuperare haud valet, ſed in eâ facile ſuſpenditur. Mercurium itaque ad cohaeſionem ſanguinis viſcidi ſuperandam parem fore haud omnino cenſendum eſt.

2do, Si Mercurius pro gravitate quâ pollet maximâ ad ſolvendum ſanguinem idoneus fuerit, nonne etiam expectandum foret alia corpora ſanguine etiam multò graviora huic immiſta, effectus quodammodo ſimiles praeſtitura? ſed ab alio metallo quovis, nec ab auro ipſo ingeſto, effectus ſimiles nuſquam obſervati ſunt; a gravitate ergo ſpecificâ ſolâ cujuſvis medicamenti, ſolutio ſanguinis nequaquam ſperanda eſt.

3tio, Mercurius parvâ adeo doſi effectus ſuos praeſtat, ut exinde neque pondus ſanguinis ſenſibiliter auctum iri, neque effectum quidem in totâ

maſsâ

maſsâ ſanguinis, reſpectu Mercurii adeo magnâ, qualemcunque produci expectare liceat. In Noſocomio regio Edinenſi nuper vidimus (ſub ductu celeberrimi noſtri Profeſſoris JOANNIS RUTHERFORD) ptyaliſmum ad libram unam in horis ſex, a grano dimidio Mercurii ſublimati corroſivi excitatum. In hoc caſu ferè certum eſt (uti etiam pleriſque aliis in quibus effectus valdè notabiles, per doſin medicamenti perparvam producti ſunt) eos non a mutatione quâvis fluidorum pendere.

Medicis diu perſuaſum fuit, opium ſanguinem rarefacere, unde vaſa ad baſin cerebri diſtendebantur, adeo ut nervorum origines comprimerentur, et ſomnus inde induceretur; jam verò a Profeſſoribus noſtris doctiſſimis CAROLO ALSTON* et ROBERTO WHYTT †, demonſtratum eſt, opium in ſyſtema nervoſum ſolum agere, effectuſque ejus ſoporiferos inde oriri.

Cantharidum ad dimidium grani corpori ingeſtum, effectus ſaepe notabiles in vias urinarias exerit, et ex

* Medical Eſſays.

† An eſſay on the vital and other involuntary motions of animals. Et Eſſays phyſical and literary, vol. ii. art. xx.

ex experimentis cum ſanguine extravaſato inſtitutis *, ſuſpicari quodammodo liceat, ſanguinem a cantharidibus ſolutum iri; ſed ſi ſolutio unius tantum grani, unciis aliquot ſanguinis affundatur, nulla inde mutatio huic contingit; multò igitur minus totius corporis humani ſanguinis mutationem ab eodem grano ſperare licet.

4to, Non tantum ſanguinis mutationem, vel a gravitate, vel a quantitate Mercurii, quae plerumque ingeritur, expectare non licet; ſed porrò a Mercurio, quantitate ſatis magnâ, ut in quibuſdam fit ingeſto, nulla ſanguinis mutatio ſenſibilis reverà fieri videtur; nam tempore ſalivationis a Mercurio ſatis magnâ quantitate ingeſto proritatae, ſaepe vidimus ſanguinem miſſum haudquaquam differre a ſanguine corpore integro detracto: eadem portio cruoris apparuit, eadem ſeparatio accurata in cruorem et ſerum in illo, quàm in hoc contigit. In hoc ſolum ſanguis hominis ſalivantis, a ſanguine hominis ſaniſſimi differre videbatur; quod in illo cruor ob inflammationem, ſalivationis comitem ferè individuum, pelliculâ tenaci albâ ſemper obductus

* Baglivi diſſert. de uſu et abuſu veſicant. cap. 1.

ctus fuit: at hoc ipſum, ſanguinem nequaquam ſolutum fuiſſe, ſatis bene oſtendit. Celeb. Van Swieten dicit ſe vidiſſe febrem tertianam mediâ ſalivatione ortam, et perſtante etiam ſalivatione, febrem per plures paroxyſmos perſtitiſſe *. In Noſocomio regio Edinenſi nuper vidimus hominem ſub finem ſalivationis febri quartana correptum, et plures paroxyſmos paſſum fuiſſe.

In hiſce caſibus certè viſciditas liquidi arterioſi, ſi quae ſit, cauſa febrium intermittentium nequaquam abolita fuit. Denique, probè notum eſt Mercurium ſaepiſſimè et ſecuriſſimè ſimul hydropi mederi †: nocere autem omnino opportet fluidis jam nimium ſolutis medicamentum quod ea magis adhuc ſolveret.

Ex his omnibus ritè perpenſis, ſatis (ni fallor) conſtat, Mercurium utcunque ingeſtum, nec ad ſolvendum ſanguinem idoneum eſſe, nec ſanguinem in ſalivantibus ab eo ullatenus ſolutum eſſe.

Quânam

* Comment. in Boer. aphoriſm. ſect. 755.

† Vid. Monro on the dropſy.

Quânam alia igitur ratione Mercurius effectus ſuos praeſtat, jam inquirendum eſt: res certè ſatis ardua, et cui fortè nos impares omnino ſimus, ſed pro viribus tentanda.

Probabile admodum nobis videtur Mercurium vi ſtimuli omnino agere, et effectus ejus omnes utpotè a ſtimulo productos, ſatis bene explicari poſſe. Hujuſmodi explicationem ad pleraque phaenomena a Mercurio ingeſto producta, applicare nunc aggrediemur; ſed priùs principia quaedam phyſiologica è re foret hîc praemittere.

I. Fluidorum motus per vaſa corporis minima, et ſpeciatim per tubulos glandularum ſecretorios, a vaſorum horum motu oſcillatorio, ad quem ſtimulo fluidorum excitantur, praecipuè peragitur.

II. Acre quodvis cum ſanguine commiſtum ſtimulo ſuo, ſolidorum contractiones naturales augebit, cordis ideo et arteriarum motus validiores et crebriores efficiens, circuitum ſanguinis multum promovebit *.

III.

* Haec principia a ſagaciſſimo Profeſſore Roberto Whytt, M. D. accuratè demonſtrata ſunt. Vid. An eſſay on the vital and other involunt. motions of animals. Et phyſiolog. eſſays.

III. Circulantis ſanguinis impetus, et excretionum omnium copiâ ſtimulis ad excretoriorum oſcula admotis, inſignitèr, et forſan praecipuè augentur.

His igitur praemiſſis, ad effectus Mercurii quos ſupra deſcripſimus, nunc ſingulatim tractandos progredimur.

Vomitum ciet.] Hunc effectum Mercurii ab acrimonia et ſtimulo profectum eſſe, nemo eſt qui dubitat, ſed ad Mercurium ex acido adjuncto acrem plerumque refertur. Mercurius autem tum calcinatus, tum agitatione ſolâ, in pulverem converſus idem facit. Mercurius igitur quoties agit in corpus humanum, ſi quantitate ſatis magnâ ventriculo ingeratur, etiam in hunc vi ſtimuli agit.

Cathartici adinſtar ventris fluxum inducit.] Cathartica omnia plus minuſve acria et ſtimulantia ſunt, et a ſtimulo eorum ſuperficiei internae inteſtinorum admoto tum oſcula excretoriorum omnium in internâ illâ ſuperficie patentium ſtimulantur, et fluida quaeque in cavum inteſtinorum naturaliter

turaliter depluentia, majori copiâ eliciuntur, tum ſimul fibrae inteſtinorum muſculares irritatae, dejectiones alvi crebriores faciunt. Certè Mercurium effectus prorſus ſimiles exerentem, eos eâdem vi ſtimuli exerere omnino putandum eſt. Ut ſaepe Mercurius, ita aliquando cathartica cuti inuncta, ad inteſtina tandem perveniunt, et eoſdem effectus oſtendunt, ac ſi per os vel anum ingeſta fuiſſent. Hos autem effectus cathartici cuti inuncti, nemo fortè eſt qui ad vim ejus in ſolvendo ſanguine referre velit, et omnino ad vim ſtimuli per ſecretionem ad inteſtina tandem delati referendi ſunt. Cum autem Mercurius vel per os ingeſtus, vel cuti inunctus, effectus catharticos oſtenderit; nonne hos etiam ad ſtimulum Mercurii ipſis inteſtinis applicatum omnino referre debemus?

Sudoriferi vice fungitur, ſaepe urinam pellit.] Sudorifera et diuretica ferè ſemper manifeſtè acria et ſtimulantia ſunt, et diuretica ſaepe effectus ſtimulantes in viis urinariis ſatis apertè exhibent. Cenſendum ideo eſt, tum ſudorifera, tum diuretica, vi ſtimuli praeſertim agere, et Mercurium eodem modo ſudoriferi vel diuretici vice fungi exiſtimare licet. Novi

C quidem

quidem plures qui ſolvendi ſanguinem vim aliquam, tum ſudoriferis tum diureticis ineſſe putant, ſed tantum ſanguinis quantum per renes vel cutim ab actione medicamenti aliquando egeritur, a quantitate adeo ut ſaepe ſit parva ingeſta ſolutum fuiſſe, nequaquam concedere poſſumus.

Frequentius ad glandulas ſalivales ruit.] Si fluida, ut vulgò opinatur, a Mercurio ſolverentur per ſecretiones omnes ſimul et ſemel profluere deberent. Hoc autem non evenit, ſed plerumque per unum ex emunctoriis ſolum in quod ſtimulus Mercurii praecipuè dirigitur, plus quàm per alia quaevis profluunt fluida. Cur autem ſtimulus Mercurii ad excretoria ſalivae frequentius dirigatur, explicare multum ſe torquent phyſiologi, et plerumque ad gravitatem Mercurii ſpecificam confugiunt. Volunt quidem Mercurii moleculas cum ſanguine è corde ſiniſtro in aortam expulſas, neceſſariò per carotidas recto quaſi itinere pergere, dum ſanguinis particulae quaevis leviores per aortam deſcendentem divertuntur; ſed falsâ anatomiâ inniti videtur haec theoria, nam aorta antequam in arterias carotidas dividitur, incurvatur, adeo ut vel carotis dextra in

directum

directum cum ſiniſtri cordis orificio, nequaquam ſit. Cur ideo Mercurius ad glandulas ſalivales frequentiùs tendit, alitèr certè explicandum eſt. In hunc finem, vel, ut cathartica quovis modo ingeſta, ſtimulandi inteſtina vim ſpecificam habere videntur; ita Mercurium excretoria ſalivalia ſtimulandi vim quandam ſpecificam poſſidere arbitremur: vel, ut cantharides et ſalina pleraque quod ab aqueâ parte ſanguinis abripiantur, et in renes deferantur, hos praeſertim ſtimulent; ita quod Mercurius iis ſanguinis partibus quae per glandulas ſalivales tranſeunt facilius aſſocietur, et cum iis in os devehatur, ibi potius ſtimulum ſuum aliàs communem exerat, haud incongruè cenſere licet.

Ægri os quiddam metallicum cupreum et faſtidioſum ſapit.] Hîcce ſapor idem eſt cum illo qui ex Mercurio agitatione in pulverem acrem converſo et guſtato, cernimus; et hîcce ſapor ſub ipſis initiis ſalivationis ſemper perceptus, clarè monſtrat, Mercurium, antequam ſalivationem proritare poſſit, ſtatu ſuo acri in os ſemper deferri: et ſtimuli quidem mercurialis ad os applicati, plurima ſymptomata mox videbimus.

Halitus

Halitus deinde graviter et foedè olet.] Hoc eſt ſymptoma quod medicos plerumque ad ſolutionem ſanguinis in ſalivantibus putredinoſam ſuſpicandam duxit, ſed temerè nimis, ni fallor: ex foetore enim animae ſanguinis ſtatum putridum ſemper inferre vix licet: a dente carioſo inquinata anima ſaepe foetet, caetero tamen corpore ſatis bene valente. A quam parvâ quantitate materiae ore inhaerentis halitus gravis ac male olens oriri poteſt; ex hoc conſtat, quod ſalivatione peractâ, ſaepe per plures poſtea annos halitus malè olens ex ore prodit; cum tamen de ſanguinis vel etiam ſalivae putredine, ne minimum ſuſpicari liceat. Saliva ergo ipſa a Mercurio mutari, et forte in putreſcentem indolem quodammodo converti poteſt; ſed idem in totâ ſanguinis maſsâ, vel maximâ ejus parte, factum fuiſſe minimè putandum, cum nec in ſanguine è venis miſſo, neque quovis alio ſymptomate, ut in ſcorbuticis ſolet, ſolutio iſta putredinoſa manifeſtè appareat. Quod tamen a medicamento per totam ſanguinis maſſam diſperſo fieri non poteſt, ab eodem per ſecretorium quodvis iterum collecto fieri facilè concedimus.

Gingivae

Gingivae tument.———Os internum totum calet, &c. &c.] Haec et caetera quae ſequuntur ſymptomata inflammationem a ſtimulo ipſi ori applicato ſubortam ſatis apertè monſtrant; neque dubium ſupereſſe ſinunt, quin Mercurius ingeſtus excretoria ſalivalia ſtimulando, effectus ſuos gignat, eodem modo quò alia quaecunque medicamenta evacuantia effectus ſuos excretoria ſtimulando producunt.

Jam igitur effectus Mercurii pleroſque ſingulatim perpenſos conſideravimus, et eoſdem vi ſtimuli productos eſſe, oſtendere quantum in nobis erat conati ſumus. De effectibus ejus igitur, et modo operandi jam ſatis egimus; reſtat nunc ut de uſu ejus in uno alterove morbo cui plerumque medetur, paucis diſſerere progrediar.

De MERCURIO QUATENUS VIRES IN SCIRRHUM EXERCET.

Practicis omnibus jamdudum compertum eſt, Mercurium obſtruentium omnium quorum notitia

ad

ad nos manavit, efficaciſſimum eſſe. In tumoribus ſcirrhoſis mitioribus, aut modo caeptis diſcutiendis, ſaepe prodeſſe reperitur. Ubi materia quidem duritiem majorem nacta fuerit, praeſertim ſi ſcirrhus ad inflammationem paulò proclivior ſit, praeparationes mercuriales nocere poſſunt.

Nulla pars corporis eſt, ubi circulatio per vaſa tenuiſſima peragitur, quae ſcirrho non affici poteſt; at partes ſtructura glandulari donatae, huic maximè obnoxiae ſunt. Omnes hi ſucci qui glandularum fabricâ ſeparantur, ac folliculis ſeu cavitatibus colliguntur, coagulatione et ſpiſſatione adeò areſcere et dureſcere poſſe, dicuntur, ut glandulae ductu excretorio nequaquam exire poſſint; ſed folliculo quò coarctantur diſtento, vaſcula per glandulae ſubſtantiam diſperſa comprimunt, unde tumor et durities naſcitur. Ruyschius tamen conſtanter aſſeveravit, quod poſtea Hallero confirmatum eſt *, nec glandulas conglobatas, nec conglomeratas, folliculos ullos habere, quarè quoties ſcirrhoſae evadunt, obſtructionem, aut arteriolis parvis, aut nonnunquam

* Prim. lin. phyſiologiae.

quam forſitan in ductibus excretoriis, fieri neceſsè eſt.

Mercurius ſanguini admiſtus, atque ad excretorium per pervia glandulae vaſcula delatus, ſtimulo ſuo non ſolum canalium apertorum motum oſcillatorium, ſed et motum eorum qui obſtructi ſunt augebit; unde materia his impacta validius agitabitur, attenuabitur, et vel in venas, vel per ductum excretorium propelletur, unde tumoris reſolutio. Quod ſi obſtructio autem adeò confirmetur, ut vaſorum motu oſcillatorio actione Mercurii ita aucto removeri nequeat, ſcirrhus in pejus ruet; vaſis enim in materiam incluſam validius agentibus, calor, inflammatio, ac humorum fluxus major verſus partem iſtam, gignetur; his autem ſcirrhum exaſperari, et in indolem cancroſam mutandum procliviùs fieri, inter omnes convenit. Hinc patet quàm cautè Mercurius in ſcirrho curando adminiſtrandus ſit.

De

De Usu MERCURII in LUE VENEREA.

Nullus datur morbus in quo Mercurius ſaepius ac felicius adhibetur quam in lue venereâ; et dubitare quidem licet, annon ſola ſit medicina quae hunc morbum foedum (noſtrâ ſaltem regione ubi radices plerumque altius egerit) penitus evellere valeat. Quomodo autem hoc praeſtat haud adeò facile dictu, cum viri venerei natura adhuc parum cognita, nec forte cognoſcenda ſit; an Mercurius huic tanquam antidotus ſeu ſpecificum, an veneno evacuando ſolum medetur, vix affirmare poſſumus. Utcunque tamen ſit de uſu Mercurii lui venereae maxime accommodato pauca quaedam afferre licet.

Libros de hoc morbo ſcriptos evolventibus ſatis conſtat, opinionem ut plurimum valuiſſe ptyaliſmum Mercurio excitatum, ad luem veneream radicitus evellendam omninò neceſſarium eſſe, et haec praxis ad noſtra fere tempora obſervatur.

Cuivis tamen ſymptomata ptyaliſmum comitantantia attentius ſecum reputanti, facile patebit nihil niſi ſpem ſolam malum foediſſimum depellendi,

toedium

toedium, moleſtiam vel periculum hujusmodi medelae ut ſubeat, aegrum adigere poſſe: angina, haemoptoe, phrenitis, dyſenteria, ptyaliſmo ſupervenientes, ſaepe ſubitò miſerum de medio tollunt; et licet haec effugerit, ſalivatione peractâ, tumores faucium et oris ſcirrhoſi, maxillae immobilitas, conglutinationes linguae cum palato ac buccarum cum gingivis, debilitas corporis maxima, tremor, paralyſis, diatheſis phthiſica, et alia mala ſaepe ſequuntur, quae miſerum vel diu excruciant vel tandem occidunt: neque hoc totum eſt; cum forte ex ſalivationis periculis omninò evaſerit aeger, poſt moleſtiam et toedium plurium hebdomadum devoratum, ſaepe virus in corpore languente nec jam medelae iterum ſubeundae pari, deliteſcens adhuc miſer invenit. Hoc evenit, et evenit quidem ſaepe, ut videtur, ob Mercurium per venas ſalivales ſubitò ruentem, antequam corporis receſſus omnes pervaſerat, et virus latens penitus eliminare potuerat.

Ex hiſce ſatis conſtat moleſtiam et periculum ſalivationis, non tantum aegro, ſed etiam medico (ſi fieri poſſit) omninò fugienda eſſe, et non dubitamus aſſerere, quod in lui venereae ope Mercurii

medendo aliam viam inire, et poſſumus, et debemus.

In hunc finem, antequam Mercurius ingeratur, opportet implere corpus decocto diluente, et attenuante ſimul, quo ſecretiones urinae, et perſpirationis, patentiores, et laxiores evadant, et eo facilius Mercurius illuc ducatur; convenit etiam, cutim totam balneo tepido mundare, laxam et apertam reddere.

Corpori ita parato, Mercurius num per os ingeſtus, num cuti inunctus fuerit, doſibus ſemper parvis, ac non niſi per intervalla longiora adhibendus eſt, quo tum de effectibus ejus in diverſis corporibus diverſiſſimis melius conſtaret, tum ne nimis ſubitò ad glandulas ſalivales ruat, certius caveretur. Si doſes primum ingeſtae ventrem moverint, vel minuenda doſis, vel opio adjecto, catharſis praecavenda eſt. Si ventrem minimè moverit Mercurius, continuò, per intervalla tamen ut diximus, ingerendus eſt, donec effectum quemdam ſenſibilem oſtenderit; ſi ſudorem elicuerit, vel urinam pepulerit bene eſt, et iiſdem omninò doſibus ingerendis perſiſtendum,

perſiſtendum, donec luis ſymptomata penitus evanuerint. Si verò neque ſudorem, neque urinam cierit, Mercurius tum iiſdem vel paulò largioribus doſibus ingerendus eſt, donec ſapor metallicus in ore perceptus, vel foetor animae, vel denique gingivarum tumor ptyaliſmum jam imminentem oſtenderint; ſimulac haec ſymptomata comparent, ingeſtio Mercurii in tempus ſiſtenda eſt, ne ſalivatio copioſa ſymptomatibus ſuis moleſtis et periculoſis ſtipata inauſpicatò accedat. Cum vero de quantitate Mercurii ſanguini admiſti ſatis conſtet, et contra ſalivationem copioſam ſatis cautum ſit, plus Mercurii per intervalla tum eſt ingerendum, tantum tamen quantum vel ſalivationis imminentis indicia monſtret, vel leviſſimam modo ſputationem proritet, et hac via inſiſtendum eſt, donec morbus penitus evaneſcat.

In hos uſus inter varia Mercurii praeparata, ſelectio quaedam fortè facienda eſt. Haec non niſi gradu acrimoniae diverſa eſſe ſupra diximus, in praeſens igitur de ſelectione eorum, ſatis erit dicere, quod Mercurius cum viſcido quodam tritus, *calomelas* et ſimilia mitiora, fortè tutius exhibeantur, ventri-

culum

culum et inteſtina minus facilè laedant, et non adeo ſubitò, neque ſymptomatibus ſtimuli acrioris, in os prorumpere ſoleant. Hinc praeparatis iis mitioribus plerumque utimur; ſed nuper in Noſocomio regio Edinenſi, praeparata quaedam acriora, ut *Mercurius ſublimatus corroſivus*, et *Mercurius emeticus flavus*, non tantum tutò, ſed etiam optimo cum ſucceſſu exhibita eſſe, jam ſaepius vidimus. Haec ſi refracta modo doſi ingerantur, ſatis tutò fit, et plerumque citiùs quàm mitiora quaevis per vias ſudoris et urinae tranſeunt, et has evacuationes potentiùs cientia, in vaſa ſalivalia minus facilè ducuntur. Sine ſalivatione igitur, morbis ſatis certè et ſatis citò etiam medentur.

Mercurii fluxu ad cutim derivato, materia morbifica in vaſis exilioribus juxta corporis ſuperficiem latens, per poros rectâ forte viâ abibit; ſin verò Mercurii curſus ad glandulás ſalivales obverſus eſſet, virus iterum in venas, ac per cor et pulmones tranſire opporteret, antequam ore expelli potuerit.

Per totum tempus quo Mercurius quovis modo paeparatus adhibetur, convenit ſimul ingerere copiam

piam ſatis largam decocti diluentis, et quodammodo ſudoriferi, quo Mercurius ad vias ſudoris et urinae certiùs dirigatur. Convenit etiam eodem tempore, ut aeger utatur diaetâ tenui blandâ; acribus, calidis, et pinguibus quibuſvis omnino vitatis. Omni curâ etiam ſub uſum Mercurii frigus a corpore arcendum, nec tamen in nimio calore detinendus eſt aeger; calor gradus cujuſvis inter ſexageſimum quartum et ſeptuageſimum medii, maximè accommodatus videtur.

Jam ergo oſtendere conati ſumus, quod lues venerea, aliâ adminiſtratione Mercurii, aeque certè et celeriter, et multò minore aegri moleſtiâ et periculo, quam per ſalivationem, ſanari poteſt; hujuſmodi exempla plurima vidimus in praxi clinicâ eximii viri ac ſummi medici Joannis Rutherford, qui hanc methodum plurimis annis ſecutus, multos ad ſanitatem reſtituit, quibus ſalivationes iterum atque iterum repetitae nulli uſui fuerunt. Idem quoque feliciter expertus eſt vir ille ſolertiſſimus Gulielmus Cullen, M. D. et Chemiae in hac Academiâ Profeſſor, qui nullam non occaſionem diſcipulos praelectionibus publicis ac colloquiis

quiis privatis erudiendi, alacriter amplectitur; quare ſalivationes ſaepiſſimè parum neceſſarias, imo plerumque noxias, affirmare licet.

Quanquam vir robuſtus, viribus adhuc integris, atque aetate florente, ptyaliſmum nullo fere damno perferat; attamen quis medicus ſanâ mente praeditus in puerulis delicatis, et infantulis tenellis, hoc tutum putaret? Annon, de his qui ſenio ac morbis opprimuntur, idem dicendum eſt? Aegris hujus generis, ſalivatione ſuperatâ, vires adeo imminuerentur, ut reliqua vita tantum oneri foret. Si ſalivatio mulieri utero geſtanti more ſolito excitaretur, metuendum omnino foret ne ſanguinis impetus a Mercurio ut ſolet multum auctus, placentam ab utero ſepara ret, et abortum inferret. In aegris ſcirrho ſive cancro occulto laborantibus, morbus a quo fortè nil periculi per totam vitam timendum erat, ab impetu ſanguinis tempore ſalivationis ſemper aucto, in cancrum rabioſum et exulceratum facilè mutari poteſt, ut triſtibus exemplis ſaepe edocti ſumus. Salivationes denique in ſtrumâ, ſcorbuto, phthiſi, et multis aliis morbis, pluribus omnino

quam

quam hîc recenſere poſſumus, magnoperè certè nocent.

Penſum mihi demandatum jam ad finem perduxi, quàm autem felicitèr alii judicent, nec me fallit nonnulla feſtinanti nimis calamo perſcripta eſſe, quae ut lectores aequi bonique conſulant, precor: has enim primitias ingenii mei, erroribus et lapſibus nequaquam immunes, Profeſſorum meorum clementiae commendatas, potius quàm ſevero examinini ſubjectas, velim. Plus temporis huic Diſſertationi impendere vix potui, niſi ſimul colendi ſtudia occaſionem nunc oblatam, ac poſtea fruſtra quaerendam, nimis neglexiſſem.

ERRATUM.

Pag. 10. lin. 7. *ſluido*, leg. *ſluida*.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE NOSOCOMIIS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

EDVARDUS FOSTER,
HIBERNUS.

Pridie Idus Junii, hora locoque ſolitis.

Μακαριος ὁ συνιων ἐπι πτωχον και πενητα,
ἐν ἡμερᾳ πονηρᾳ ρυσεται αὐτον ὁ Κυριος.
PSAL. xli 1. Septuag.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXVII.

To

Doctor Sims

from his Obed.^t Servt &c.

Author

VIRO ILLUSTRI,

ET DE PATRIA OPTIME MERITO,

CAROLO LUCAS, M.D.

SUPREMAE APUD HIBERNOS CURIAE,

CIVITATIS DUBLINENSIS MISSU,

SENATORI,

EDVARDUS FOSTER

SALUTEM PLURIMAM DICIT.

CUM ſummos petens medicinae honores, ex academiae inſtituto, ſcribere aliquid neceſſe haberem, et de noſocomiorum natura libellum confeciſſem, ſub cujus eum auſpiciis potiſſimum tutarer deinde circumſpicienti, Tu mihi, Vir egregie! primus ad mentem, tu ſolus accurriſti; et merito. Cui enim patrono aliquod de re medica conſcriptum, quam medicinae peritiſſimo, potius ſacrarem; cui, ad publicum aliquod commodum pertinentem, quam hujus praecipuo Propugnatori; aut, noſocomia reſpicientem,

quam noſocomiorum ubique per totos agros Hibernicos condendorum Auctori? Qua quidem re nihil praeclarius, nihil humanius, aut viro pietate et meritis ad magnum honoris faſtigium evecto dignius eſſe poteſt. Profecto, ſi dictum CICERONIS, "homines ad deos nulla re "propius accedere, quam ſalutem homi- "nibus dando," cuiquam, certe medico; ſi medico, tibi ante omnes, convenit. Inter enim te et alios medicos hoc intereſt; ut illi, quantum opera aſſequi propria poſſint, ſaluti humanae conſulant; tu, qui ſive ſcientia, ſive diligentia, ſive ſucceſſu medendi, nemini, ne celebratiſſimis quidem Nominibus, cedis; praeterea, ſenatuſconſulto impetrato, egenis aegrotantibus, quae ubique maxima turba eſt, per totum ampliſſimum regnum, praeſentem opem inveneris. Neque hac in laude, quippe quae nova prorſus ſit, aliorum exemplum ſecutus es, ſed ipſe aliis utile futurum propoſuiſti. Etenim veriſimile eſt, ut nulla hactenus civitas parem pauperibus pietatem praeſtitit, ita

nullam

nullam non, facti utilitate adductam, deinceps praeſtituram. Ut adeo non tuis civibus ſolis, ſed, quotquot tuae bonitatis fructum olim perceperint, iis omnibus propitius fueris. Ergo, quod in te fuit, quod in homine eſſe poteſt, perfeciſti; teque pium civem, probum virum, ſapientem ſenatorem, et prudentem medicum, oſtendiſti. Verum etiam quod ad alios attinet, tibi amplius aliquid providendum eſt, et in longitudinem conſulendum. Pulcherrima exempla, per improbitatem et nequitiem hominum, in peſſimos eventus trahi poſſunt. In omni re plerique mortalium, publica ſimulata, privatam utilitatem captant. Atque, ut quiſque peſſimus eſt, ita proprio lucro maxime eſt deditus. Hinc gratia, audacia, et largitio, dignorum hominum incorruptam et modeſtam virtutem circumvenit. Hinc nequiſſimi et ignaviſſimi mortales bonorum praemia ereptum eunt. Atque ſi, in praeſentia, hujuſmodi artes malae, quod ſuperi tamen omen avertant, dominabuntur; hinc quoque, communis ſalus in medio

lacerata

lacerata jacebit, et fruſtra tua bonitas, fruſtra miſericordia publica, erit. At ne quid tale, in novo tuo conſilio, fiat, et rem praeclariſſimam omnium corrumpat, tuum eſt, Vir Optime, quantum res ferat, prohibere. Prohibendi autem, ſi meam interponere opinionem deceat, haec ſola ratio eſt; ut non ſolum, quod jam factum eſt, gravium virorum qui et ipſi ſpectati medici ſint, collegium inſtituatur; ſed cum chirurgis medici quoque ſinguli in ſingulis noſocomiis adhibeantur, his ſumma cura detur, ut utrique omnium caſuum curationes omnes libro fideliter perſcribere, perſcripta collegio ſupra relato quotannis cognoſcenda ſubjicere, obſtringantur; ut diligentes et bene meriti laudentur, ignavi et tanto muneri praeſtando impares ignominia notentur, aut loco moveantur; denique una mente, uno conſilio, omnia adminiſtrentur. Verum, cum e contrario id agi videam, ut, excluſis medicis, chirurgis ſumma haec adminiſtratio detur, non poſſum non meum ejus rei dolorem teſtari. Quis non videt medici

et

et chirurgi officia inter ſe prorſus diſcrepare; multoque majorem ubique morborum numerum, operam illius, non manum hujus, deſiderare? Certe nullus populus, noſtris Civibus exceptis, non videret medicorum in valetudinariis ample curandis neceſſitatem, ubi decemplex facile morborum numerus illorum opem requirit. Neque ſapientiſſimus quiſque apud nos hoc ignorare poteſt. Imperitiores vero rerum, quo melius idem cognoſcant, et ſuum errorem videant, ad librum, quem vir graviſſimus Broculsbeius de Morbis Caſtrenſibus conſcripſit, relego. Quod ſi alii chirurgi tantae curae inepti habeantur, an Hibernici multo aptiores credendi ſunt, aut prae caeteris terris morbi cultro, emplaſtris, et faſciis curandi, intra quae chirurgi totum officium conſiſtit, apud nos unos abundant? Si neutrum verum eſt, ſolam aut ſummam aegrotantium, de quibus agitur, curationem, iſtis hominibus non eſſe permittendam, et optimi cujuſque medici operam adhibendam, ſequitur. Ergo, ut ſupra

dixi,

dixi, ad te redit, ne quid ex his rebus detrimenti res communis capiat, tuumve conſilium peſſumdetur, prohibere. Quod ſi feceris, praeter ea quae tui operis rationem reſpiciunt, alia commoda ad publicum et ad genus humanum pervenient. Quippe aemulatio ſic accenſa, reliquorum per totam Inſulam medicorum ingenium acuet, et induſtriam excitabit. Hinc medicina accuratius et ſubtilius ubique exerceri, experimenta et obſervationes utiles et ſalutares in lucem edi, et Hibernia, quae antehac medicinae arte totam Europam tarde et longo intervallo ſecuta eſt, totam praecedere poteſt. Inter alia vero quae hinc utiliſſima eſſe poſſunt, diligens coeli viciſſitudinum et tempeſtatum generum obſervatio, quae privatim difficile, in publica tali ratione facile, haberi poteſt, non eſt praetereunda. Quod ſi HUXHAMUM, qui et verbis et exemplo medicos ad hoc ſuſcipiendum hortatus eſt, nemo unus, ſcilicet labore deterritus, ſecutus eſt; tamen multi, gloria accenſi, et imperio coacti, nullo negotio laborem ſuperabunt, et ex obſer-

vationibus

vationibus omnium, quotannis a collegio exploratis, non poterit non aliquod excerpi, et cum ſummo rei medicae commodo in lucem quotannis exire. Pari ratione, ex curationibus morborum ſupra dictis quicquid memorabilius viſum fuerit, id quoque publici juris factum medicinam locupletabit. Quae bona praeſtandi, opes fundendi, et Hiberniam divite artis Apollineae vena beandi, pulchrior hac occaſio dari nulla potuit. En tibi, Vir Honeſtiſſime, novae et verae gloriae propoſitam ante oculos materiem!

Quod ad noſtrum opuſculum attinet, fateor id neque emendatum, neque limatum, neque abſolutum eſſe, quippe quod ſtudiorum ratio, et anguſtia temporis, non permiſerit. Statuam quaſi rudem expreſſi, quam alii oblatam poliant; parteſque et membra totius molis ita deſcripſi, ut ſingula tamen lima ulteriore et accuratiore arte egeant. Nam ſive aëris, ſive munditiarum, ſive contagionis, ſeu multarum aliarum rerum, natura conſideranda eſt; vides, quot verbis, quanto labore, unaquaeque

que harum tractari, et ultra ſolitos hujuſmodi diſputationum limites procedere poſſit. Accipe igitur aequi bonique has paginas; tua auctoritate et nomine protege; et culpas omnes ſcriptoris juvenis voluntati condona. Ipſe autem perge, ut coepiſti, eſſe emolumento patriae, propugnaculo libertati, decori et ornamento tuis, praeſidio miſeris, et ſingulari integritatis ſenatoriae, inter millia flagitiorum, exemplo!

EDINBURGI,
Prid. Non. Jun.

DISSERTATIO MEDICA

DE

NOSOCOMIIS.

EXPOSITURUS, quemadmodum omnia ad noſocomiorum uſus pertinentia curari gerive debeant, quo illuſtrior dicendorum ordo ſit, inſtitutum opus in quatuor partes diducam.

PRIMA, domicilii ſitum; altera, ipſum hoc, una cum iis quae extrinſecus aut intus ad idem proprius attinent; tertia, adminiſtrationem; quarta, victum et medicamenta, tradet.

QUARUM diviſionum iterum unamquamque, prout res poſtulaverit, ſuo poſtea loco dividam.

CERTISSIMA et ſaepius luctuoſa experientia demonſtravit, non omnem ſitum, multitudini etiam ſanorum hominum in eundem locum concluſorum, ac ne quidem ſingularibus, convenire: Quo major aegrotantium ratio habenda eſt; niſi ſi qui, ut CELSUS ait, "perſuadere nobis volunt, ſanis quidem conſiderandum eſſe quod coelum ſit, aegris vero non eſſe. Quibus tanto magis omnis ob-

“ ſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia
“ offenſis infirmitas eſt *.”

Igitur ſitus, coeli ſolique ratione habita, ideoque, in utroque totus conſiſtens aër, conſiderandus eſt. Quo autem modo aër in coeli et ſoli natura conſiſtat, et, pro diverſis eorum conditionibus, melior aut pejor ſit, niſi obiter non ſum dicturus. Solumque, quae aëris proprietates, in ſitûs delectu habendo, ſpectandae ſint, exponam.

Aeris tria, in ſalutem humanam, ideoque in noſocomiorum uſus, quaerenda ſunt; siccitas, temperies modica, et puritas. Quibus contraria ſunt vitanda. Aer maxime siccus in iis locis eſt, quae, modica altitudine, nuda, patentia, a magnis maribus remota, vel ab his, montium interventu, tecta ſunt.

Vix autem, ne nimis ſicca coeli natura ſit, metuendum eſt. Quam adeo ſanitati neceſſariam egregius Pringle opinatur, ut, inſalubrem, niſi in arenoſis ſolitudinibus, poſſe eſſe neget †. Si vero periculi quicquam in ſiccitatibus ſubeſſet, certe aeſtate praecipue incideret, qua eae maxime fiunt. Quo tamen tempore, ut ſatis ad ſalutem humoris ab aëre ſuppetat, varia humi naſcentia, luxuriantia,

* A. Cornel. Celſ. praefat. ſub fin.

† Diſeaſes of the army, part 2. chap. 2. p. 84.

antia, ſummam ubique terram obducentia, et incredibilem humoris vim, incredibili velocitate, per innumerabilia foramina, ad ſuperum aëra, omni temporis puncto, dimittentia, efficiunt. Praeterea, ubi plures homines vivunt, inde ſemper, ex aqua et aliis circa eos vaporibus, ſatis ſuperque madoris, cum aëre permiſcetur. Non igitur quaerendus humor, ſed omni cura, ut mox oſtendetur, cavendus eſt. Quem, quoniam omnibus teſtimoniis et argumentis major, etiam experimentorum fides nocentiſſimum eſſe confirmavit; igitur, quae is locus maxime infeſtet, dicendum eſt; fonteſque humoris, quo certius in ſitus domicilii delectu habendo, vitentur, retegendi.

Igitur, neque in ſummis montibus; neque in planitiebus, praeſertim uberiore et ditiore ſolo, neque in fluminum ripis; neque in imis vallibus; neque prope paludes, udave inaequaliter loca; neque ſilvarum tractui vicina; neque magnis maribus objecta, noſocomia ſalubriter conduntur.

Nam altiſſimum quemque locum humor omnis coeleſtis, prae caeteris, petit. Id quod nebulae coelumque ibi obnubilum toties viſum, cum omnia in tractibus ſubjectis ſerena tamen ſunt, oſtendunt.

Ad imas valles, terreſtris omnis mador undique, ex ſuperioribus regionibus, confluit.

Planities autem eo ſunt vitandae, quod, niſi declivitates ſunt, per quas collecta aqua delabatur, haec cumulata ſubſiſtit, et totam terrae faciem humidat. Quod ſi ſolum quoque per cujus foramina ut illa deſcendat reliquum eſt, uberius magiſque argillaceum eſt, nullus omnino humori exitus dabitur. Qui igitur coelum aſcendat, per aëra diffundatur, madidumque hunc et gravem reddat, neceſſe eſt.

Quantum autem humoris, ideoque noxae, a fluminibus ortum ripas et vicina petat, rores, halitus, et nubilia, veſpertinis, nocturnis, et matutinis horis, praeſertim poſt calores diurnos ſummiſſa, demonſtrant.

Madidorum vero vaporum magnam vim, a magnis maribus ad objectas terrarum oras ventos perferre, notiſſimum eſt. Quo fit, ut eae plagae, quae mari Atlantico, Oceano Germanico aut Pacifico, oppoſita jacent, maxima humoris copia infeſtentur; eoque majore, ſi qui loci inter altorum montium juga, et talia aequora intercluſi, collectos intra anguſtum ſpatium vapores excipiunt. Quorum utique locorum eae partes, quas inter et maria montes interjacent, tutae magis magiſve, ubi noſocomia

ſocomia aedificentur, idoneae ſunt, quia interceptus altera parte vapor ad alterum non pervenit.

Palustrium vero, praeſertim udorum, locorum vicinitas graviſſima et ſumme inſalubris accolis eſt, quia plurimum inde madoris oritur. Itaque omnium regionum, hujuſmodi loca ſpargere morbos, et mortale genus varie divexare, pro aliarum rerum ſimul agentium et morborum faciem aliter atque aliter mutantium varietate, perſpiciuntur.

Neque, ob eandem cauſam, vaſtarum ſilvarum tractus minus noxae inferunt. Ad quas magna humoris vis, partim coeleſtis, partim terreſtris, item a foliis, ab arborum et reliquorum humi naſcentium ſummis ſpatiis promanans, undique congeritur. Unde eadem fere quae ſupra demonſtrata ſunt mala, eademque de cauſa, gignuntur. Americani ſalubriores regiones experiuntur, quo plura loca, exciſis ſilvis, circa domicilia quaeque nudarunt. Quinetiam Britannos, antiquam circumſepiendi villas arboribus conſuetudinem paſſim commutâſſe, et apertiora undique loca, ac latos proſpectus, quam maxime affectare video; ſcilicet, haud indoctos, quanta mala a priore, quanta a praeſente inſtituto bona, ad ſalutem ſuam perveniant.

Omnis vero humor eo pejus mortales habet, quo major ejuſdem copia eſt. Itaque de rerum ſupra commemoratarum noxis judicandum eſt. Uda vero et ſilveſtria loca, eo nomine, nocentiſſima ſunt, quod plurimum madoris ad hominum corpora perferunt; illa, quia ſumma ſpatia multis partibus, quam planorum, auctiora ſunt; haec, cum ob eadem ſumma ſpatia, per truncos, per ramos, per folia et frondes, incredibiliter ampliata; tum, quia totidem radiculis, quot partes ſupra terram, eminent, aquam e terra avidiſſime hauſtam rapidiſſimo per has omnes meatu undique demittunt. Quocunque autem modo, et quibuſcunque ex rebus, corporibus hominum humor adhaereſcit, omnia mala, ex occluſa perſpiratione naſcentia, inde oriuntur. Et, prae caeteris, febres intermittentes in humido omni tractu dominantur.

Temperiei coeli tenuis nobis copia eſt. Quae enim mortalium cura, quod artificium, varias coeli vices regere aut multum mutare queat? Atqui modica utique temperies in primis neceſſaria eſt. Quae quidem, ſi ad ſiccum aëra jam expoſitum additur, ipſe coeli habitus prope inventus erit, qui ſaluti humanae quam maxime conveniat. Talis aër corpora noſtra debito pondere et elatere premet, juſtum firmis par-

tibus

tibus tonum praeſtabit, ut hae humores rite impellant, inque vicem ab iis repellantur, faciet; poſtremo, omnia vitae officia, actiones omnes, intra juſtum modum continebit. Sed quoniam modica temperies frigoribus et caloribus nimiis media intercedit, de his utriſque verba deinceps faciam, quidque in nobis adverſus ea praeſidii ſit attingam.

Calor vel per ſe vel conjuncto humore agit. Per ſe, ubi vehementiſſime premit, mortales variis turbis et ſubita ſaepe pernicie afficit. Quod fatum ſub frigidiore coelo vivere conſueti et in ardentes orbis plagas tranſducti, item complures anguſtius et confertim habitantes, ſaepe ſunt experti. Atque id periculi imae valles, parietes ex lateritia vel lapidea materia confecti et calce firmati, ubi ii domum circumſepiunt, praeterea ſolum arenoſum, aeſtivo ubivis tempore per calidos dies inferunt; quippe quae Solis radii gravius feriant, atque inde repercuſſi periculoſo aeſtu mortalia corpora torreant. Itaque ea a noſocomiis procul abeſſe debent.

Quod ſi calori aëris adeo per ſe gravi humor quoque acceſſit, quae duo vitia nunquam non ſtagnantem ſecum naturam quoque trahunt, et commemorata mala cumulant, quanta

ſtrages,

ſtrages, quam dirae cum putredine peſtes et plurima mortis imago, graſſentur, neceſſe eſt!

> "Quis cladem illius" coeli, "quis funera fando
> "Explicet, aut poſſit vel bis aequare laborem *!"

Supra oſtendi, ſatis ſemper humoris a multitudine eodem collata ad circumfuſum aëra differri, neque non veriſimile eſt, etiam illum conjuncto calore putrida quoque mala gignere poſſe. Omnia vero putredinis genera, et peſſimorum morborum facies, ex fontibus humoris et caloris externi conjunctis, naſcituros eſſe conſtat. Ergo, quo tutiora noſocomia et a geminatis noxis liberiora ſint, omnia loca, quae ſive humorem ſive calorem nimium adferre propoſitum eſt, ab illis diſſideant oportet.

Frigus quoque vel per ſe, vel conjuncto humore, agit.

Seorsim agens frigus, ſtructurae ratio, poſtea memoranda, facile in habitabilibus orbis plagis defendit; ideoque ab hoc loco omnis de eo quaeſtio aliena eſt.

Frigoris autem humidi, in domo condenda, obſervatio quaedam neceſſaria eſt. Atque hic quoque humoris, cujus ante memini, origo varia vitanda eſt. Itaque ſummi montes, imae valles, conſita arboribus, uda aut

* Virgil. Æneid. lib. 2 verſ. 361.

aut paluſtria loca, et ſimiles aliae res, domui vicina ne ſint. Omnis autem frigoris vis, accedente madore, duplicatur, arctius corporibus adhaeret, et diutius retinetur. Eadem ſummi corporis foramina occludit, adſtringit, perſpirandum vaporem retinet, et in interiora convertit. Unde febres cum totius corporis habitu inflammato, partiumque inflammationes, naſcuntur.

Porro ut aër quam puriſſimus, ideoque, omni ex parte, ſanitati aptus ſit, omnia quae eum contaminent cavenda, domuſque ab omnibus remota inſtituenda eſt. Hic autem, non de toto coeli ambitu, ſed de aëre terram et hominum corpora propius depreſſo, loquor. Is enim rebus impuris pervius ſolus inquinatur, atque ex eo, ut quaeque pars maxime ſtagnat, ita maxime polluta nocet. Aëra omnia acria, praeſertim putrida, polluunt, et ſanitati ineptiorem efficiunt. Quorum utique origo in animantium et terra naſcentium vaporibus quibuſdam conſiſtit. Nam ſi qua labes ex foſſili quoque natura oriri putanda eſt, eam, ut magis reconditam, minuſque, in ſitus noſocomiorum delectu habendo, ſaepe ſe offerentem, haud ſane multum morabor. Urbanarum igitur ſordium colluviem, noxas ex ſummis hominum corporibus, e pulmonibus, ex alvo, ex urinae itineribus, e ventriculo,

et cum aliis corruptis excretis dimanantes, aquam ſtagnantem, aut foſſas putridas prope, noſocomia collocanda non ſunt. Atque haec, ſi magna vi et copia circumvolitant, et cum aëre non mixta ventiſve ablata, noſtris corporibus intus accipiuntur, quolibet tempore offendunt. Ad quae, ſi aeſtivorum dierum, ſi rerum de quibus ſupra memini calor, ſi earundem humor, ſi ſtagnans aër, et ſimiles aliae noxae ſuperadduntur; multiplicata clade, diraque putredinis, contagionis, et ſaevarum peſtium lue, mortales rapiuntur.

Supra demonſtratum eſt, eo plus aquae ad coelum adſurgere, quo ampliore ſummo ſpatio eidem exponitur; ideoque ſummum ſolum inaequaliter udum, quam altiores aquas, magis nocere. Quae tamen noxa humoris avolantis copiae non tota tribuenda eſt. Sic enim quieſcens humor et calori objectus facile ſtagnat et corrumpitur, ut haec quoque corrupti aëris cauſa ſit. Cujus rei exemplum ex Ægypto Inferiore petitum mihi ſuccurrit. Quibus enim temporibus Nilus inundans totos vicinos agros alto flumine obruit, accolae ab omnibus morbis immunes ſumma valetudine fruuntur. Contra eodem, ripis repetitis, in juſtum alveum relabente, eique tractu proximo toto udo, et partim ſicco, partim madido

relicto,

relicto, peſtes et omnium morborum putridorum genera per populum nata graſſantur. Porro, licet nihil ſicco et puro aëre, ut ſupra dictum eſt, ſalubrius ſit, ideoque omnia, quotquot eum inquinent, tollenda ſequatur; tamen, ſi id fieri non poteſt, aquarum ea altitudo quae impura omnia tegat, non ſolum minus nocebit, verum etiam, adverſus putredinem et alios illorum effectus, praeſens auxilium erit. Itaque Lancisius Hadrianam molem, cum paluſtri praecipue coeno inquinata eſſet, neque illico exhauriri potuiſſet, deducta ex Vaticanis hortis lympha, ſic temperavit, ut accolas peſte laborantes minime deinde laeſerit. Idem Romae, Pisauri et alibi, ejuſdem conſilio, factum eſt *. Item per quadraginta annos, omnia ex omnibus domibus ſordium genera, in magno latoque ad moenia magnae urbis ſtagno collecta, quoad ſuperante aquâ tecta ſunt, nihil nocuiſſe, poſtque ſummam tandem aquae faciem exſuperatam, aëri aperto ſubjecta, horrendam febrem per populum ſparſiſſe, et, pro quadragenis quotannis perire ſolitis, eo anno capitum millia duo ad orcum demiſiſſe, Senaacum teſtari video †.

Domi-

* De nox. paluſtr. effluv.

† De recond. febr. intermit. tam remitt. natur. l. 1. cap 4.

Domicilium et ad id pertinentium ratio triplex eſt: primumque de libero ſpatio externo; deinde de ipſo aedificandi negotio; poſtremo de internis ejus partibus, pauca diſſeram.

Cum multarum rerum et, prae caeteris, arborum et aliarum domuum vicinitatem, jam vetuerim; igitur libera omnia et aperta circa domum debere eſſe intelligitur. Sed ad cauſas ejus rei ante expoſitas, alia nunc explicanda accedit. Pars curationis exercitatio eſt, cujus quoque ut ambulatio pars eſt, ita ei neceſſario locus erit deſcribendus. Qui locus hortus ſit, an area porrecta, vix refert. Quod ſi idem cingendus videbitur, parietes neque ex aggere, neque ex lapidea, neque ex lateritia, aut ulla alia ſolida materia perficiendos, ſed cratibus ita conjunctis, ut multo plus vacui inter binas quaſque intercedat, quam ipſae ſolidi habeant, contexendos, judico. Illud enim ſepimenti genus nimis clauſum, quo minus ad domum aër libere perveniat, prohibebit; hoc non erit impedimento. Praeterea ſemitae variae fieri, aliae planae, aliae leniter acclives, aliae rectae, aliae flexuoſae, quo major ambulandi ſit varietas, debebunt. Quam varietatem variae vires et caſus ambulantium poſtulabunt. Poſtremo, cum ii qui ſic exercendi ſint, in numero longis, ideoque

ideoque plerumque lenioribus morbis affecto-rum, aut convaleſcentium futuri ſint, ne quid laſcivius minuſve decore geratur, viros a mulieribus ſeparato loco ambulare convenit.

Ædificandi ratio proxima eſt, ſub qua tria, materiam, domus genus, et poſitum, comprehendam.

Nihil lateritium, niſi in iis regionibus ubi lapidum copia non eſt, ad aedificandum adhiberi debet; atque, ubi ea illius materiae neceſſitas fuerit, tamen, in juſtam hujus quae fieri ſolet craſſitudinem, parietes patere, neque ſumptui parci convenit. Major enim craſſitudo, praeter firmitatem quoque majorem, plus hieme caloris, aeſtate frigoris, praeſtat. Similemque rationem tectum, prout tegulis lateritiis aut lapideis factum fuerit, habebit. Item gradus, ingredientium veſtigiis primi ſemper ſubjecti, ideoque quam maxime ſemper inquinati, quo facilius mundi ac nitidi ſerventur, ex lapidibus politis et laevibus, unde ſordes nullo negotio abſterguntur, perfici oportet. Quicquid autem inſtruitur aut contegitur, calce conſolidandum eſt, parietumque interiorum totum ſpatium calce quoque inducendum, ne quid ubique rimae aut vitii relinquatur. Haec autem, quo melius frigus nimium,

quod

quod cavendum ſupra dixi, defendatur, et alia poſtmodo memoranda, ſervanda ſunt.

Simplex domicilium duplici praeſtat, cujus totam latitudinem ſingula cubicula occupent, et in unoquoque feneſtrae utrinque feneſtris opponantur. Quo fiet ut vix ullus flare ventus queat, quin, iis per occaſionem apertis, intus dirigatur. Quae res, ventilabris multo commodius et expeditius, aëra ſtagnantem aut minus ſpiritui aptum commutat renovatque. Saepenumero autem, ubi ab altera ſola parte feneſtrae in ſtruendo relictae ſunt, nulla his vel maxime apertis aura intus perfertur. Ob eandem quoque cauſam, magnae atque altae eaedem fieri debent. Cui altitudini ut locus ſit, contignationes in idoneam altitudinem elevandae ſunt. Denique, pro longitudine ejus, domus certis intervallis ab ima parte ad ſummam gradibus ſecanda eſt, iiſque ad omnia cubicula perviis opus erit, cum aditus facilioris tum liberioris aëris immittendi cauſa. Sed et alia hujus ſtructurae cauſa ſubeſt.

Nam cum animi in omni morborum genere vis magna ſit, iſque inferre, augere, aut imminuere morbos varie conſueverit, quaecunque, in domus aedificandae ratione, ad hilaritatem aut tranquillitatem ejus, ſanitati maxime convenientem, conferunt, locum ſibi vindicant.

Ex

Ex his, libera lux et jubar per feneſtras modo memoratas immiſſa, noſtri ſunt propoſiti; quippe quibus nihil magis mortales animos recreet, nihil jucundiores aut ſereniores praeſtet. Igitur ad meridiem tota longitudine aedes vergere, neque ulla pars niſi neceſſario ab eo averti, debent. Quo fiet ut ſi ſimplex domus fuerit, ut ſupra praecepi, et alae defuerint, quod fieri quoque judico, nullum ubivis cubiculum, non et ſole et aëre recreetur; et CELSO, " inflatum aeſtivum, hibernum Solem habere" jubenti, cum commodo pareatur. Nam haec aedificandi ratio, cum modicam aëris temperiem noſocomiis neceſſariam oſtenderim, ejus copiam quandam dabit. Solis radii per vitra tralucentes frigus immodicum temperabunt; modicum frigus, apertis feneſtris, aeſtus incommoda levabit.

QUAE tamen ita dico, ut alas, alteram in meridiem productam, alteram in ſeptentriones rejectam, quo neutra alteri officiat, jubarve aut aëris liberioris meatum intercipiat, haud incommodas fore fatear; eoque magis, quod ſic ab utraque parte ad angulos quibus illae reflectuntur, domum gradibus antedictis dividendi copia facta erit. Quorum graduum imus eam coeli regionem reſpiciat, quae liberrimos et puriſſimos ventos emittere ſolet. Ea

autem

autem in Britaniae Hiberniaeque pleriſque locis ſeptentriones ſunt.

Sermo de partibus internis plurimas res complexus, cubicula et horum ſupellectilem, culinas, medicamentorum officinas, cellas familiares, appartum aegris communem, et quaedam alia domui communia tractabit.

Quo minus cubicula ſpatioſiora et plurium capacia quaedam ſint, quibus ii, quorum morbi a contagione alieni ſunt, communibus utantur, nihil obſtare video: praeſertim cum parſimoniae in talibus domibus nunquam obliviſcendae, hoc maxime conſilium conveniat; verum in hujuſmodi cubiculorum neceſſitate, unum ſemper, quo, reliquorum purgationis et aëris mutandi cauſa, migretur, vacuum ſervandum, praeclaro Donaldo Monroo, idem in noſocomiis militaribus monenti, aſſentio. Attamen plura ſeparata, quae unum aut alterum aegrotantem capiant; non omnia pauca et multis communia, quibus e turba concluſa morbis contagioſis laborantes reliquos inficiant, parare operae pretium eſt. Non enim ſatis eſt unum alterumve manifeſtiore contagione periclitantem a reliquis ſegregare; multos vero alios eadem labe paulo occultius ſuffectos in certum prope periculum alios deducere pati. Enimvero magna morborum pars, et

omnes

omnes fere per populum graſſantes, profecto contagione non carent. Nec injuria ſuſpicientur, quotquot homines ex domibus privatis, ubi alios eadem mala vel teneant, vel paulo ante tenuerint, ad noſocomia ſint perlati; eoque minus vana haec ſuſpicio erit, ſi eadem mali natura eodem tempore per populum ſaevire intelligetur. Hi omnes et multi alii ſeorſim ſunt habendi, curandumque ne inopum et miſerorum ſalutare auxilium in perniciem nonnullorum vertat. Nam neque hiberno tempore ſpatioſorum cubiculorum omnes igne partes pariter calefiunt; neque valetudinariorum multitudo in eundem locum coacervari poteſt, quin ſtrepitu et vocibus alii alios offendant, ſomnique aut quietis uſum neceſſarium vigilantes aut inquieti, interturbent. Ad ſupra dicta adtexendum eſt, unumquodque cubiculum, pro concludendorum numero, amplum, ſpatioſum, altumque debere eſſe. Quam altitudinem contignationum praecepta altitudo parabilem efficiet. Poſtremo, ſingulis cubiculis ſingula loca concluſa includenda ſunt.

Cubiculorum ſupellex deinceps conſideranda eſt; eaque per lectos et horum partes, matulas, ſcaphia, thermometron, focos, et feneſtrarum opercula, exigitur.

Lectorum ea inter ſe diſtantia convenit, quae imperitiori judici eam contemplanti longe nimia videretur. Ab hac re alienum non eſt Joannis Pringelii dictum, qui de noſocomiis caſtrenſibus loquens, "lectos ita raros, iiſque "inter ſe intervallis diſponendos," ait, "ut vul-"garis homo oculis eos intuens triplicem facile "numerum poſſe eſſe diceret." In noſocomiis, de quibus agimus, intervalla paulo minora nihil nocebunt; lectorum pedibus lapſus rotarum ſubjecti commodi erunt, quibus ultro citroque, quietioris aëris mutandi cauſa, loco illi motentur.

Spondae et fulcra, et ſi qua alia pars firma materie eget, ſi ſumptus tolerabilis fuerit, ex ferro aptiſſima erunt, quibus cumices aut aliae ſordes quam minime adhaereſcant. Imprimis enim munditiae circa aegrotantes praeſtandae ſunt; de qua re fuſius paulo per occaſionem verba faciam.

Qua etiam de cauſa, laneis aulaeis, quae magis ſordeſcunt et parum lavantur, linea anteponenda ſunt, quae commodius lavari et munda ſervari poſſunt.

De ſtragulis, praeter eandem munditiarum rationem, nihil proprium habeo dicere.

Strata autem plumis recentibus, et quam diligentiſſime ſiccatis, impleri; aut, ſi earum ſumptus

ſumptus minus commodus viſus fuerit, pilis ſuffarciri utile eſt. Peſſima autem conſuetudo eſt lana implendi ſtrata. Ea enim moleſti caloris, culicum, pediculorum, et aliarum ſordium, materia eſt.

Quod ſi ſupervacuum credatur ad ſingulos lectos ſingulas matulas aut ſcaphia, aliaque vaſa, quibus in acutis morbis urina infra veſtem ſtragulam commodius excipiatur, et laſana pertinere dicere; certe haec ipſa non in aperto cubiculo, neque infra lectos habenda, ſed in parva conclavia quae ſupra relata ſunt concludenda, non etiam levi de cauſa praeceptum eſſe videbitur. Neque obliviſcendum eſt, dyſentericorum ſtercus, ſeparatis laſanis, quo minus noxius halitus ad reliquos inde perveniat, ſervandum; atque inde ad receptaculum commune, de quo poſtea dicetur, primo quoque tempore deferendum eſſe.

Fenestrarum operculo ligneo, duabus valvis conſtante, opus eſt. Quibus minus aut magis pro occaſione inclinatis, aut arcte ad vitra applicatis, nimia lux minuatur, obſcuretur, aut omnino excludatur. Cujus rei utilitas in multis morbis manifeſta eſt, ubi corporis ſenſilitas cum aliis rebus offenditur, tum oculi, luce clariore perſtricti, irritantur, eodemque pacto ſomni et quietis uſui conſulitur.

Porro, cum coeli temperies in eodem loco

vix temporis puncto conſiſtat, et ſemper fere per omnia anni tempora, omnes tempeſtatum vices, varia et mutabilis ruat, ejus omnes viciſſitudines notari et quam diligentiſſime ſervari oportet. Itaque thermometron, intus ad lectos ſuſpenſum, frigoris et caloris vices modoſque, exquiſite indicabit. Cujus inſtrumenti, in aegrotantium curatione, neceſſitatem non poteſt non videre is, cui, quantum aëris temperies vel integerrima corpora moveat, perſpectum ſit.

Ad ſpatioſa cubicula calefacienda, ſinguli ignes ſingula, non ſufficiunt. Itaque in unoquoque plures focos, quam aequiſſimis inter ſe intervallis diſpoſitos, quibus, igne impoſito, aer aequa ubique temperie ſervetur, pariterque toto intus ſpatio frigora defendantur, haberi operae pretium eſt. Neque minimum quidem cubiculum igne, itaque uno foco, commode carebit. Iidem foci majores aut minores eſſe, pro majore aut minore loci ſpatio, calefaciendo; et pro illorum magnitudine, plus minuſve fomitis quoque ſuper imponi, debent.

Officinae tres ſunt; medicamentaria, chemica, et chirurgica.

Officina medicamentorum ſit juſtum conclave, ſatiſque amplum, quo omnia medi-

camenta

camenta ordine explicentur, commodiorque ad ſingula aditus ſit. Quoque idem ſiccum magis, eo aptius erit. Multa enim illic ſervanda medicamenta, in humidiore loco, facile liqueſcunt, multa muceſcunt, aut aliter corrumpuntur. Idcirco hic quoque, praeter alios uſus, foco et igne opus eſt. Hujus loci apparatus, piſtilla et mortaria, alia vitrea, alia marmorea, alia metallica, alia majora, alia minora, pro diverſa rerum contundendarum copia; item uteres vitrei, pari figurae et magnitudinis varietate; poſtremo, circa totum undique locum, varia ſimiliter ſcrinia quibus ſicca capiantur et ſimilia, ſunt.

Neque officina chemica, quam pleriſque noſocomiis deeſſe video, tamen deeſſe debet. Ea pluribus focis, diverſa ſtructura et magnitudine, quibus ad alia opera chemica conficienda ignis aliter dirigatur, inſtruenda; ſimul, ab aegrotantium cubiculis et medicamentorum officina, ne quid ex nimio plurium ignium calore detrimenti oriatur, in ſeparatum conclave dividenda videtur.

Qualis locus inſtrumentorum chirurgicorum capax eſſe debeat, vix dicto opus eſt. Satiſque eſt, armarium aliquod ſiccum, et ab omni humoris periculo remotum, ne ea, quae munda et terſa eſſe convenit, rubigine uſui

ineptiora

ineptiora ſiant, neque id quidem magnum quaerendum eſſe, dicere.

Culinae in unoquoque noſocomio duae requiruntur; altera communis, in qua ea quae ad quotidianum ſanorum victum propius accedunt curentur; altera extraordinaria, ubi certis caſibus cibi ac potiones proprii magis parentur.

Cubiculum Rectrici, cellaeque nutricibus et reliquis famulis, in ima contignatione diſtribuantur. Nam ei domus parti quam ſolam continet, quaeque tanto gravior, quanto humidior eſt, integri quam aegri tutius committuntur.

Aegris communis apparatus eſt machina electrica, utile in multis morbis remedium; balneum in aliis, frigidae lavationis locus in aliis, utiliſſima.

Reliquum nunc eſt, ut de quibuſdam rebus, ad ſuperiores diviſiones haud facile referendis, pauca non omittenda perſequar.

Ergo, ut nihil, quod aëris regendi, et ſaluti eum accommodandi, poteſtatem faciat, leve aut a noſtro propoſito alienum videtur; oſtia autem exteriora, aëris fluentis oppoſita, pro occaſione clauſa aut aperta, ejus rei ſummam copiam praebent; ita magnis gradibus, quos liberrimorum ventorum regionem ſpectare, et

ad

ad omnia cubicula pervios eſſe volui, fores arcte accommodatae praependendae ſunt.

Item feneſtrae per graduum totam altitudinem, in ſingulis contignationibus ſingulae inſertae, ob eandem cauſam utiles quoque erunt.

Hae utraeque, clauſae calorem, apertae immiſſo aëre frigus, praebebunt, aegros reficient, aëra temperabunt, ſtagnantem, praeſertim in majoribus cubiculis, magis elaſtico mutabunt, multum boni praeſtabunt. Neque ſolae ea faciunt; ſed feneſtrae ipſorum cubiculorum feneſtris oppoſitae, item horum altitudo, et pro concluſis corporibus amplitudo, de quibus ſupra eſt relatum, eodem etiam conferunt, et ſuum auxilium, ſuum uſum, conjungunt. Quarum utique rerum cum origo ſimplicior ſit, et ab aëre coeleſti vel humana corpora propius accedente, vel inde excluſo petenda; hic juſtus locus videtur, quo de utraque re ad tot ſupra dicta pertinente plenius paulo et ſubtilius ratiocinari detur.

Corporis humani calorem thermometri Farheinheitiani gradus 98 indicat; coeleſtis, hac in regione ejuſdem thermometri gradu 62 notatus, gratus et jucundus eſt. Itaque illo hic multo minor eſt. Idem tamen ſupra gradum 62 aſſurgens, licet etiamnunc multo

minor,

minor, tamen moleſto nos calore afficit. Contra, infra eundem decidens, ſenſum injucundi frigoris praebet. Tota autem rei ratio in hoc poſita eſt, ut corpora hominum calorem gignendi poteſtate praedita, ſi hic exhalans ad circumfuſum aëra aequaliter diffuſus perit, alium per foramina undique dimanantem aequaliter quoque renovent, et circa ſe conſtantem caloris modum ſervent. Id autem, in coeli temperie media, quam thermometri gradu 62 ſignari dictum eſt, fieri ſemper ſolet.

Haec autem frigoris ratio eſt. Minor calor coeleſtis modico illo modò dicto, plus humani, unoquoque temporis puncto, diſſipatum aufert, quam eodem temporis ſpatio renovari, ſummo corpori circumjici, atque hoc defendere poſſit. Itaque minus quoque proprii caloris id ambibit, propiuſque externus ad ſumma ejuſdem aſſidue adſpirans, ſenſum quendam ingratum, quem frigoris dicimus, efficiet. Cumque calor hominibus naturalis ſtabili et conſtanti ſit natura, quicquid propiorem frigidi aëris ad ſumma corporum adventum intercludit, id omne adverſus omnes frigoris modos efficax erit remedium. Hujuſmodi autem veſtes, domus, et ignes intra has accenſi, ſunt. Ergo, ubi thermometron quod ad lectos aegrotantium ſuſpendendum

judicavi,

judicavi, mercurium multum infra gradum 62 ſubſidiſſe oſtendit, tum omnes feneſtrae omnia oſtia per totam domum claudendae, igneſque accendendi, et, ſi intenſiora frigora poſtulaverint, plus veſtium ſuperaddendum, videntur.

Caloris, e contrario, natura ſic explicabilis eſt. Ambiens coeli calor medio memorato major, nativi, interius corpora ambientis, minus accipit, facitque ut hic circa corpora cumuletur, augeatur, et moleſtum tandem ardoris ſenſum excitet. Cujus quoque praeſidium erit, quicquid, ſupervacuum ſuum undique circumfuſum halitum, a corporibus difflat amovetque. Talia ſunt ventorum flumina in corpora ruentia, et aër media temperie inventus. Verum in nimio calore, cum venti non ſemper afflent, neque loci a ſummis ardoribus tecti, ubi juſta ſit temperies, facile et ubique reperiantur; ideo caloris quam frigoris, remedia rariora, minuſque in noſtra poteſtate eſſe, apparet. Quo magis ut hanc contemplationem ad uſum et noſtrum propoſitum propius deducam, omni cura omni obſervatione opus eſt; ut ſaltem, quod auxilium adverſus minores calores in noſtra manu eſt, id, fluentis aëris liberioris undique in noſocomia inductis, praeſtare ſimus parati. Quoties igitur aëra

nimis calere, mercurius ſupra 62 thermometri gradum levatus, ſignificaverit, univerſae feneſtrae, oſtia, rimaeque pateſieri debent. Cujus cautionis, praeter frigus ſic inductum, alia in multitudine aegrotantium cauſa eſt. Eſt ſpecies aëris a philoſophis noſtrae memoriae reperta, quam mephiticam appellarunt, iſque, ubi purior eſt, flammam et vitam extinguit; ubi in aëre meliore aliquantum ita diſſipatur, ut partim ſeorſim agat, valetudini gravis nocenſque, malos morbos et prae caeteris putridos infert; cum aëre prorſus et chemice mixtus, innocuus eſt. Inter autem haud paucas ejus per rerum naturam origines, etiam ab humanis pulmonibus et cutis foraminibus provenire compertus eſt. Cum aëre autem penitus coit, miſcetur, et ſua amiſſa, ejus naturam induit, per omnes temperiei gradus ab imo uſque ad ſexageſimum ſecundum, ut nihil inde offenſionis, neque ad ſingulares homines neque ad multos arctius confertos, perveniat. Suam pariter in aëris coeleſtis natura perdit; pariterque nihil offendit, ubi parva ejus pro illius copia eſt, aut perflatus eum a corpore verrit. Verum cum aër externus ſive ſponte ſuper modum caleſcit, ſive gravis halitus ex multitudine ortus eum calefacit, tum demum dira lues ſupra relata erumpit, et

miſeros

miſeros mortales miſere affigit. Cujus rei, ſi nihil in coelo noxae eſt, gravis vapor e corporibus dimanans, circa haec condenſatus et quieſcens, inque eadem, apertis ſimul calore foraminibus, rurſus inſinuatus, in cauſa eſt; remedium, obſtaculis omnibus remotis, per quam plurimos aditus et ſpiracula aër elaſticus intromiſſus. Proprium noſocomiis unum eſt, ut cum pluribus contignationibus neceſſario conſtent, neque ima aegrotis ob cauſam jam allatam permittatur; ideo gravis vapor, modo dictus, ab inferius habitantibus ad ſuperiores uſque, ſua natura, aſcendat, atque uſque eundo aucta, in ſumma demum domo ſaepe intolerabilis fiat. Is autem, communibus portis ad ſingulos gradus imos, feneſtriſque ad ſummos eoſdem, in unaquaque contignatione, inque ipſis cubiculis, apertis, valido aëris agmine irruente, abigitur, cujus locum melior aër ſuccedens occupat.

Postremo, ne alius e ſtercore vapor huic pervius ſit, peſtemque memoratam teterrimo odore et cumulata noxa augeat, illius commune receptaculum a gradibus averti, locoque quam maxime ab omni aegrotantium aditu diſſidente, eſſe neceſſe eſt. Nam in nonnullis noſocomiis, ubi hoc ſervatum non eſt, unaque cum malo aëre materia impura, per iter commune,

mune, ab excrementis quoque ſummittitur; prout altius gradibus aſcendes, ita magis atque magis foedus odor tibi nares feriet: Ut igitur cui hoc praeceptum ſupervacuum videatur, is carere naribus dicendus ſit. Cella, ubi veſtes lavantur, ſeorſim ſit oportet, ne mador inde ortus aëra domeſticum humidet.

Neque cadavera in cubiculis aegrotantium relinquenda, ſed quamprimum, poſt animam efflatam, ad locum ſeparatum clauſumque deferenda, videntur. Plurimorum enim cadaverum rapide ruens putredo in ſummum vivos periculum conjicit.

Administratio quae per medicum, chirurgum, pharmacopolam, nutrices, rectricem, aliudque miniſterium, perficitur, in totidem partes, expedito ordine, diducitur.

Principium autem a medico eſt. De quo acturus, haud neſcius ſum, meum hoc loco ſolummodo eſſe, ejus circa valetudinarios officium tradere; non etiam, qualis, quid medicinae ſciens, quibus artibus inſtructus, ad hoc munus accedere debeat, docere; ſatiſque eſſe, ut is quam optimus ſit, uno verbo, praecipere. Verum, quum hoc maxime tempore, Superis volentibus, cives mei rem pulcherrimam agant, perque totos Hiberniae agros, ſuſcepta miſerorum cauſa, quibus inopes aegrotantes

recepti

recepti curentur, hoſpitia undique condant, ne tantam rem indignis credendam, et miſericordia publica fruſtra ſit necne, parum referre, exiſtimare videar, utramque rem, et quid ſcire, et quid facere medicum conveniat, paucis attingam.

Scientia medici ad neceſſariam, utilem, et commodam redit; in qua poſtrema naturalis quaedam bonitas locum habet.

Primum autem rationalis artis diſciplina, et uſus medendi neceſſarius eſt. Nam ut iis qui, ratione neglecta, uſui caeco et imitationi ſervae ſeſe tradiderunt, non eſt credendum; ita nec iis qui, his omiſſis, illam inaniter et ſine ſenſu coluerunt, tot hominum ſalus recte committitur.

——————Alterius ſic
Altera poſcit opem res, et conjurat amice *."

Itaque virum dignum qui valetudinarios ample curet, anatomiae, chemiae, rei pharmaceuticae, materiae medicae, phyſiologiae, pathologiae, et uſus medendi, neceſſario peritum eſſe; neque de morbis in ſcholis audire, ſed eos ipſos videre et explorare, atque in iiſdem tractandis et curandis verſari, oportet. Ad haec ſapientia, acre et ſagax ingenium, diligentia, fides, et probitas, imprimis poſtulantur.

Ad

* Horat. de art. poet. verſ. 409.

Ad quarum rerum neceſſariam ſcientiam utilis aliarum accedit, logicae, artis mathematicae, metaphyſicae, rerum naturae; item ex ſermonibus antiquis Graeci et Romani, e recentioribus Gallici et Vernaculi, notitia: Quae, ut Romanus ait, "quamvis non faciat medi-"cum, aptiorem tamen medicinae reddit."

Qua cognitione eum eſſe imbutum quo certior fides ſit, in ſcholis quam optimis medicum didiciſſe, atque, ubi inſtitutus eſt, inde lauream artis accepiſſe convenit. Quod clarius magiſque fidum, ingenii, diligentiae, et in diſciplina progreſſus, teſtimonium eſt, quam ſi, fallace earum rerum periculo facto, ab ignotis ipſe ignotus, ſuſpicioſum et ſaepe exitialem titulum, furto quaſi auferret.

Commodae autem in medico artes ſunt, ſumma rerum et hominum peritia, mores ingenui, liberales et graves, auctoritas et dignitas comitate et humanitate temperatae; poſtremo, vultus bonus et ſpe plenus, unde, in re dubia, ſpes quoque, cujus haud leve ad ſalutem ſaepe momentum eſt, afflictis innaſcatur. Itaque Celsus "Periti medici," inquit, "eſt, non pro-"tinus ut venit, apprehendere manu bra-"chium; ſed primum reſidere hilari vultu, "percunctarique quemadmodum ſe habeat; "et, ſi quis ejus metus eſt, eum probabili ſer-

"mone

"mone lenire; tum deinde ejus carpo manum "admovere *."

Quod autem ad officium medentis attinet, ita ſe inter aegrotantes gerere meminerit, ut ſemel die omnes viſat, et unicuique convenientia praecipiat; alios autem iterum tertiove, aut quoties uſus poſtulet, reviſat, idque quod in eo fuerit auxilium cum cura praeſtet. Cujus totae partes ad haec fere redeunt, ut medicamenta per pharmacopolam et chirurgum ad praeſcriptum adminiſtranda curet, per nutrices victus et exercitationis rationem regat, et omne munditiarum genus, rectricis et nutricum munera non diſpiciens, circa aegrotos praeſtet; alios aegros recipiat, alios integra jam valetudine dimittat, alios parum ſe ordine gerentes, aut dicto non audientes, caſtiget; delinquere pergentes ignominia notet, aut domo ejiciat; temporum et tempeſtatum vices obſervet, adverſus has, ubi nocebunt, praeſidia inveniat; omnibuſque in rebus omnia curet, regat, adminiſtretque. Eique ſcriba attribuendus eſt, qui praecepta libro inſcribat, aliiſque in rebus eum adjuvet.

Suum quoque chirurgo munus praeſcribendum eſt. Ad eum ea opera, quae manu perficiuntur, omnia pertinent; quorum igitur uſûs artem et acrem cum prudentia dextram deſide-

* Lib. 3, cap. 6, p. 129.

deſiderantium, ad haec anatomiae, chemiae, artificiique mechanici, notitia neceſſaria eſt. Hunc fortis et firmus ad omnes caſus animus ſuſtineat, ut neque querimoniis neque clamoribus, neque vultu miſerabili, neque ſanguine effuſo, neque cruciatibus, neque ulla infelicium miſericordia moveatur; quin omni perturbatione vacuus, invicto pectore ad ſalutem contendere perſeveret. Is quoque quotidie ſemper ſaepiuſve, re poſtulante, ſibi commiſſos viſere, et ſubinde medicum, ſi qua res durior viſa fuerit, conſulere debet. Superbia enim chirurgica ſuam artem a medicina ſeparans, aut hujus quoque cognitionem ſibi vindicans, ubi ordine opus eſt, ferenda non videtur. Praeter autem eum, etiam juvenem, chirurgiae non ignarum, ali in domo, et ſemper praeſto eſſe, qui vulnera curet, iis medicamenta imponat, demat, mutet, et ſimilia, abſente chirurgo, ſed hujus tamen praeſcripto adminiſtret.

Pharmacopola diligens, medicinae ſimplicis, compoſitae, atque etiam hanc componendi ritus gnarus, ſobrius, cautus, et ab omni temeritate alienus, eſſe debet. Eſtque in hoc homine gravitate et probitate ſpectata opus. Neque enim, cum is, inter mille res diverſiſſimas, quarum plurimae nocent, multae etiam mera venena ſunt, et error admiſſus, peſſimos

trahit

trahit effectus, verſetur, omniſque praeſcripta exſequendi cura ad eum deſcendat; levi aut infido ingenio maxima res credenda eſt. Pharmacopolae autem eſt, ut medicamenta quam optimi generis ſint, idoneiſque modis et temporibus adhibeantur, curare; perverſam hominum, ſi juſſa medici detrectent, voluntatem corrigere; et ſi qui regi per eum noluerint, aut aliter parum ſe ordine gerant, eorum delicta cum fide ad medicum deferre; poſtremo, quam minime, abſente etiam medico, ſive interdiu ſive noctu, domo abeſſe; nam, in tanto morborum numero, ſubitorum caſuum mobilitas praeſentem et paratam omni hora opem deſiderat.

Nutrices quae inter valetudinarios verſantur, eorumque curationi invigilant, proximum iis qui medentur locum occupant. Earum munus eſt aegris aſſidere, praeſto eſſe, medicum, quoties occaſio poſtulaverit, rogare, fomenta parare, jacentes tollere, erigere, ſublevare, lecto efferre, veſtes inducere aut exuere, lecto reponere, poſituram mutare, cibos et potiones quorundam aegrotantium proprias in altera culinarum curare, haec et medicinas dare, ſcaphium aut laſanum ſubminiſtrare, hoc in conclavi concludere, ac deinde quamprimum in commune receptaculum ſtercus ab-

latum effundere, lectos ſternere, cubicula detergere, omnia munda ac nitida ſervare, ignem accendere, medico aut chirurgo, quemadmodum iis abſentibus aegri ſe habuerint, accuratius narrare, et ſimilia alia, ſed precario, uti dictum eſt, et ex medentium juſſu, exequi. Quarum mulierum quae ſit neceſſitas quis non videt? Illarum igitur omnium rerum peritia ac uſus, praeterea fides et diligentia, ab iis requiritur. Non enim inſuetae et inexpertes aegris adminiſtrandi moris, ea quae ad hoc officium attinent, facile praeſtent. Nam in omnibus rebus experientia optima magiſtra eſt. Neque quicquam adeo ſimplex, planum, aut expeditum eſt, quin arduum, impeditum, et difficile, parum aſſuetis aut non expertis fiat. Infidis autem aut negligentibus perpetua aegrorum corporum cura cum ſummo periculo committitur. Eaedem, cum imperium medici non intercedit, in munditiarum ratione ſervanda, omnique domeſtica curatione, parere rectrici debent.

Rectrix ſobria, ſapiens, rerum domeſticarum perita, ſimplex munditiis, ab iracundia, odio, ſuperbia, inanitate muliebri, aliiſque animi perturbationibus vacua, aetate provecta, et vel marito orba vel nunquam cuiquam juncta, caſta, proba, ab ingenuis moribus non

aliena,

aliena, officii diligens, eaque auctoritate quâ ſuis miniſtras officiis contineat. Illius eſt omnibus rebus domeſticis praeeſſe, ſupellectilis munditiis per nutrices et famulas conſulere, et ſimilia alia ita curare, ut tamen medici, item chirurgi et pharmacopolae, auctoritatem ſemper reſpiciat, et quarta domus poteſtas ſit.

Praeter munera nutricum ſuper expoſita, nulla opera familiari circa aegrotantes opus eſt. Id vero famularum quod ad alia munera domeſtica ſufficiat habendum eſt. Quibus, ſicut et nutricibus, hoc commune eſt, ne omnia omnibus per ſaturam agantur, ſed ſingulis ſuae partes diſpertiantur. Quippe metus eſt, ne, unoquoque in alterum quicquid agendum eſt inclinante, et ſibi otium, ut mos plurium miniſtrorum amat, quaerente, neceſſaria negligantur, aut male et tumultuoſe fiant. Itaque una aut altera puella, ſi quid ſpatii extra aegrorum cubicula eſt, ei et gradibus purgandis, item reliquis per domum ignibus faciendis, alia lacti curando, aliae veſtibus lavandis, attribuendae ſunt. Aliis in culina opus faciendum eſt, quibus coquus cibos curandi peritus praeſit. Item famulus apparere debet qui fores cuſtodiat, et ultro citroque ſive nuncius aut mandatum deferrendum ſit, ſive aliquid petendum aut portandum, mittatur.

His

His omnibus praeeſſe rectricem, ut ſupra oſtendi, aequum eſt, eamque ſumma adminiſtrationis domeſticae reſpicere. Nam quoniam, quaſi reſpublicae tales domus ſunt, iis Homeri dictum, "non bene geri rempublicam multorum imperiis," convenit *.

His autem omnibus, quorum operam in ulla adminiſtrationis parte adhibendam demonſtravi, una res in ſua cuique occupatione ſemper eſt ſpectanda, ut munditiis conſulatur, earumque conſtans ratio habeatur. Sordes enim quae nunquam humanae ſaluti proſunt, in multitudine in unum locum collata, eaque morbis conflictante, ut nocentiſſimae ſint neceſſe eſt. Eaeque tanto etiam nocentiores erunt, quanto propius aegra corpora ſunt, arctiuſve adhaereſcunt. Quo pejor eorum medicorum error fuit, qui in morbis febrilibus ab initio uſque ad finem induſia mutari vetuerunt, qua curatione factum eſt, ut ex ſordibus a perſpirato halitu aut aliunde ortis corpori adhaerentibus, hujuſque deinde vaſis receptis, variae noxae natae ad vim morbi acceſſerint. Induſia igitur, et ſtragula linea, cum in aliis morbis, tum, prae caeteris, in putridis aut contagioſis, ubi haec haud parva curationis pars eſt, quam frequentiſſime mutanda

* Homer. Iliad. lib 2. verſ. 204.

tanda ſunt. Contagio enim non ſolum ab aliis ad hominum corpora, verum etiam ab eodem quaſi homine, ad illum ipſum pervenire, ſeque accumulata augere poteſt. Neque metuendum eſt, ne inter mutandas veſtes et corpus denudandum, homo aëri objectus in periculum incidat. Nullus enim morbus eſt, nullum morbi tempus, quo prius calefacta induſia aut ſtragula linea, modo longior mora caveatur, non tuto circumjici liceat. Noſocomiorum vero proprium eſt, ſi aër frigidus liberior per domum meat, laborantes intra laneam ſtragulam tutos, veſte munda circumdare. Ad munditiarum quoque curam lecti motati uſus, cujus rei cauſa iis rotas ſubjiciendas putavi, praeſertim calore vigente, et in morbis putridis ac contagioſis, pertinet. Qua ratione aër, ſive nimio calore, ſive noxiis rebus gravis, novatur, et in puriori ſpirandi copia datur. Ad haec una obſervatio propria eſt, cujus ante memini, ut ſtercus, praeſertim dyſentericum, diligenter concluſum, ſemper quamprimum ad receptaculum commune deferatur; periculum enim eſt, ne ab eo minus ſervato gravis halitus ſummiſſus ad proximos perveniat, et praeſentibus malis etiam aliud, idque peſſimum, ſuperaddat. Poſtremo, ne culices, pediculi, puliceſve ullam lectorum par-

tem infeſtent, attendendum eſt; quippe quae foediſſimi maximeque peſtiferi ſordium generis proles ſint. His omnibus rebus medico diligenter invigilandum eſt; et ſive rectrix ſive nutrices, ſive reliqui miniſtri, haec parum ſervaverint, quaecunque ſic deliquerit, ea, non condonanda culpa admiſſa, ab officiis et noſocomio extra veniam ableganda eſt.

Cum non omnia medicamenta omnibus neceſſaria ſint, et plerorumque morborum ſanatio intra exiguum illorum orbem conſiſtat; ideo nec tota illa, quam in pharmacopoeias ſive ignorantia, ſive perverſa diligentia, ſive etiam ſuperſtitio congeſſit, farrago, nimio ſupervacuo, quemque res haud facile ferat, ſumptu, in noſocomiorum uſus, quaerenda eſt. Qui enim praeſentes cum prioribus pharmacopoeiis a Galeni uſque ad haec tempora conferat; poſterius et cultius aevum ſuperioris ſemper vitia correxiſſe, multa inania, vana, ſupervacua, aut contraria rejeciſſe, et ſimplicium medicamentorum numerum uſque imminuiſſe, comperiet. Quin et multa adhuc in Londinenſi ac Edinenſi pharmacopoeiis, licet eae omnium longe optimae ſint, linenda atque delenda reſtant: quae illi doctiſſimi et clariſſimi viri, partim opinionibus ac ſtudiis vulgaribus, partim empiricorum impudentiae, partim deni-

que

que magnificentiae et coloris pulchritudini concedenda pro tempore, ne omnia recidere ac nihil loco immotum relinquere viderentur, et paulisper indulgenda, judicarunt. Nec dubium eſt, quin Edinenſes, qui ſuum, quo tempore haec ſcribo medicamentorum liberum recudunt, multis partibus eam, tam breviorem quam emendatiorem, in lucem ſint reddituri. Eandemque porro liturae neceſſitatem diu manſuram, et in ſera ſecula deſcenſuram, non veri ſolum ſimile, ſed et verum certumque videtur. Quibus utique incommodis, in aegrotantium hoſpitiis, facilis carendi copia eſt. Neque iis convenientium medicamentorum diſpenſationem eadem, quae publicas pharmacopoeias, premit iniqua neceſſitas. Nihil in illis audacium hominum impudentiae concedendum, nihil ignorantiae aut vanis ſtudiis dandum, nihil magnificentiae damnoſae largiendum; contra, ſapientis, docti, et probi viri arbitrio, omnia adminiſtranda. Praeterea, inter collegii, et privatam, ſortem plurimum intereſt. In illa, omnium ordinum atque conditionum homines reſpiciendi, totuſque populus non juvandus ſolum, verum etiam, ut varie placetur, multa ferenda; in hac, inopibus miſeriſque, alieno beneficio habitis, ſalutaria ſine gratia aut ambitione paranda. Nul-

lius igitur, ne repurgatiſſimae quidem pharmacopoeiae, omnia in noſocomiôn quodvis coacervari debent, eorumque ita delectus haberi, ut ſupervacua rejiciantur, pretioſioribus, niſi horum pauca utique neceſſaria ſint, viliora et parabiliora anteponantur, atque ea quae maxime utilia ſint, quaeque uſus communes poſtulent, ſola retineantur.

Neque penoris hujuſmodi domibus accommodati ratio praetereunda eſt. Talia vero ad victum providenda atque paranda videntur, qualia tenui plebeculae, cujus de numero plerique ſunt, qui ſic ample curantur, quam maxime reſpondeant. Cujus tamen rei aliqua eſt varietas. Nam alii quoque, qui benignius vivere conſueverant, aliis cauſis coacti eodem deferuntur; atque utrique jam morbis affecti, victus quandam proprietatem requirent. Itaque neque durius vivere conſueto lautiores epulae, neque his uti ſolito pejor victus convenit, neque utrovis jam in morbos implicito, non aliquantum, ex conſuetudine ciborumque et potionum genere, recedendum eſt. Verum de victus genere plenius diſſerere, aut praeceptum aliquod communius proponere, vix noſtrum hujuſve loci eſt. Aliud enim incipientes morbi, aliud conſiſtentes, aliud decedentes, aliud longi, aliud

acuti,

acuti, requirunt. Atque ex iiſdem morbis alii alias hujus rei proprietates habent. Item variae aetates, naturae, ſexus, certaeque nonnullis propriae conditiones, quas ἰδιοσυγκρασίας Graeci nominant, totidem ciborum potionumque proprietates, eaſque pariter variantes, poſtulant. In delectu autem, qualis cuique victus conveniat, habendo, maxime commune praeceptum eſt, ut ſtatus ventriculi reſpiciatur, quidque hic ferat, aut ferre recuſet, exploretur; cujus rei, ſicut et morbi, natura conſiderata, materiae genus utrique reſpondens, permittatur. Verum, praeter cauſas allatas, haec tota quaeſtio, cum verboſiore et pleniore, quam noſtro conveniat propoſito, oratione egeat, magnam medicinae partem comprehendat, et pleraeque, quas tractat, res non in longiorem diem paratae intus recondantur, ſed quotidie conſumptae reparentur, ideoque in hac re ad medici domeſtici quotidianam quoque curam magis attineant; nobis in medio relinquenda, et illius, ex ipſa re e veſtigio ſemper judicaturi, et conſilia pro occaſione capturi, arbitrio committenda videtur. Solumque addendum eſt, ut medicamentorum, ita alimentorum rationem, parſimoniam cum utilitate temperatam, poſtulare.

F I N I S.